DE
DURIDE SAMIO
DIODORI SICULI ET PLUTARCHI AUCTORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS FERDINANDUS ROESIGER,

SAXO - BORUSSUS.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA.

MDCCCLXXIV.

CURTIO WACHSMUTH

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

S.

Cum proximo anno in Diodori Siculi librorum XIX—XXI origines inquisivissem, res mihi prospere processit, ut verisimillimum esse probarem, Agathoclis res a Duride Samio repetitas esse. Sed quia neque mihi neque aliis omnes removisse scrupulos videbar, necessarium duxi etiam alios locos perscrutari, num Duridis cognitio, solivaga sane et ieiuna donec e fragmentis exiguis quaereretur, amplior et rectior alicunde posset adferri. Nam eos, quibus reliquiarum una cum nominibus scriptorum traditarum copiam debemus, vehementer conquerendum est, in nugas quasdam potius et in miracula insignia animadvertisse quam ullo modo subtiliore indicarent, qua ratione et consilio scribendi illi usi essent, quid eorum fuisset iudicium de rebus gestis de hominibus de gentibus. Itaque videlicet ad scriptores serioris aevi confugiendum est, quorum ex libris, ut illis temporibus regula et consuetudo priorum fuit usurpandorum, non raro tamquam e palimpsestis mutilis et decurtatis color vetus faciesque enitescit. Hanc viam ingressus quid profecisse mihi videar ad Duridis imaginem planius depingendam et ad historiam explicandam, iam in animo est proferre. Atque primum quidem res Agathoclis tractabo, deinde in Demosthene Plutarcheo quid ad Duridem referendum sit exponam, tum ad res post Alexandri mortem gestas me conferam, quibus in enarrandis qui putent Diodorum totum fere a Cardiano Hieronymo pendere, eos falso iudicare mihi demonstrandum est. Sed quamquam haec auctorum quaestio difficultatibus haud levibus involuta nunc ad liquidum perduci non potest, hoc tantum me

effecturum esse spero, ut singulorum fontium singulas proprietates significem et nonnulla demonstrem certo Duridi posse adsignari. Denique Demetrii vitam a Plutarcho conscriptam expositurus sum e fonte secundario, ut aiunt, effluxisse, sed nunc quoque Duridis signa posse deprehendi. Dum vero in hac opera ego versor, Bonnae interim prostabat Augusti Haakii dissertatio de Duride Samio Diodori auctore inscripta. Qua cum iam arbitratus essem commentationem meam usu esse privatam, celerrime tamen cognovi, eam non solum non superfluam esse, sed paene necessariam. Primum enim quamquam is ipse Volquardsenium [1]) caliginem dispulisse praedicat quam fontium curiosis Diodorus oculis effudisset, illud tamen, quod multo gravius est idemque iam ab H. Nissenio [2]) perspectum, Diodorum non comparavisse complures narrationes, sed in rebus exponendis auctoritati unius alicuius prorsus se addixisse neque eius verbis quidquam de suo addidisse, hanc, inquam, legem iste evertendam sibi esse causis non prolatis opinatus est. Praeterea vero libellus satis multis aliis erroribus refertus est, quos infra suo loco diluam.

I.

Agathoclis vita, quae in Diodori bibliotheca inest, ut pernoscatur, unde hausta sit, magnum adiumentum ab illo ipso adlatum habemus, quod confecta narratione de duobus historicis Agathoclis aequalibus, Timaeo et Callia, iudicium adiecit (XXI, 17). Nam ex eo hunc fructum utilissimum percipimus, quod certiores facti, quid ei de moribus Agathoclis statuissent, quibus animorum adfectionibus moti se contulissent ad scribendum, certissimam regulam apprehendimus, ad quam omnes narrationes superstites dirigantur. Deinde autem nisi causa locupleti impediamur, ponendum est, Diodo-

---

[1]) Untersuchungen über die Quellen der griech. und sicil. Geschichten bei Diod. B. XI—XVI. 1868.

[2]) Krit. Unters. über die Quellen der 4. u. 5. Dekade des Livius.

rum etiam censuram illam ab eo auctore arcessivisse, cui ceteras partes maxime debebat, qua ex re iam porro colligendum est, hunc auctorem et Timaeo et Callia usum esse. At vero Haake (p. 26) ad Polybium libri XXI caput 17 revocandum esse censuit, pauca etiam a Diodoro attexta. Sed primum vel id Haakium de hac opinione depellere oportuit, quod cum ipse sensisset, Diodori 13, 90 non solum re, sed etiam verbis cum Polybii 12, 12 et 24 consentire [1]), similitudinem latiorem inter Diod. 21, 17 et Polyb. 12, 15 intercedere, sine ulla dubitatione negandum est. Quid, quod accuratius inspicientibus in promptu positum est, ut in 21, 17 impendio aliter de Timaeo existimatum esse atque a Polybio et a Diodoro priore loco cognoscant. Etenim Polybius totum librum duodecimum in eo consumpsit, ut Timaeum veritatis omnino non fuisse amantissimum, sed et eo imprudente multos errores excidisse et consulto ab eo multa mendacia divulgata esse demonstraret. Quo castigandi officio sane idcirco perfunctus est, ut aliquando tandem auctoritatem summam illi apud aequales habitam labefactaret et perverteret, ne quam ei laudem relinqueret nisi accurationem et sollertiam in constituenda temporum ratione positas mirificamque in libris pervolutandis adsiduitatem et vigilantiam. Contrariam autem sententiam Diodorus 21, 17, 1 pronuntiat, cum non sine magna reverentia Timaei dicat, in ceteris quidem partibus scriptionis eum summa cura veritati prospexisse, in Agathoclis vero solius rebus enarrandis falso huic multa scelera adfinxisse, quia odio in eum vehementi propter exilium suum concepto nimium largitus esset. Huc accedit, quod Polybius (l. m.) ad iudicium suum comprobandum alias res ac Diodorus attulit, quod denique causa apta excuti non po-

1) Polybius animadversiones in Timaeum, cui totum fere librum XII dedit, compluries similibus verbis effert. Ad Diodori locum accuratius Polybii 7, 6 et 26 d, 3 ed. Hultsch conveniunt quam ei loci, quos Haake contulit. Sed etiam verisimilius mihi videtur, ea verba, quae Diodorus excerpsit, post 25, 5 excidisse, quoniam inde de tauro Phalaridis notitia desumpta est, Polybium autem probabile est ne hoc quidem loco quin Timaeum oblique perstringeret abstinuisse. Multa vero ab epitomatore Polybii omissa esse constat.

test, quare commotus sit, ut quemadmodum de Timaeo, sic de Callia quid sentiret, aliquando exponeret. Nempe in Timaeum non tam invectus est, quia Agathoclis res male tractaverat, quam ut fidem eius atque auctoritatem imminueret. Nihil igitur ad Calliam. Ergo cum locum, de quo agimus, a Polybii et verbis et sententiis dissidere perspexerimus, simul id pro explorato habemus, Diodorum non ipsum Timaei et Calliae iudicem 21, 17 extitisse, quoniam si quid ipse proferre voluisset, idem videlicet iteravisset iudicium, quod supra Polybium secutus fecerat, neque secum repugnavisset. Sed omnes hae difficultates opinione Haakii temeraria excitatae evanescunt, modo illud simplicissimum de integro statuamus, ab eodem, quo Diodorus ceterarum vitae Agathoclis partium auctore usus sit, reprehensionem Timaei nimiae maledicentiae, Calliae nimiae adulationi ingestam desumptas esse. Id et per se verisimillimum est et ea re optime confirmatur, quod per omnes partes de Agathocle eodem modo, quo illo c. 17, iudicatum est, esse eum ut fortissimum et rerum bellicarum peritissimum ita eundem crudelitate praestantem. Antandro autem puto Diodori auctorem non multum tribuisse; nam cum 21, 16 Calliae historiae quo librorum numero contineantur, accurate indicetur, ille obiter dicitur et ipse res fratris perscripsisse.

Iam vero, num quae in ipsa narratione rerum ad Timaeum vel Calliam pertineant, quaeritur. Quodsi Haake ita esse funditus infitiatus est, id desperatione factum esse persuasum habeo, quia et Duridem obtinere et adfirmare voluit, Timaeum ab eo usurpari non potuisse. Atque hic quidem ter diserte (20, 79, 5; 89, 5; 21, 16, 5) commemoratur, semel in generali significatione, quae est *ἔνιοι δὲ λέγουσιν*, eius nomen latere, probabile est. At vero Haake hic ponit, additamenta esse haec Diodori, „solere enim eum ne se uni, quem per omnia sequeretur, addixisse videatur, aliorum quos inter primarios auctores non habeat, testimoniis se vestire“: quod fictae diligentiae et doctrinae ornamentum in numerorum discrepantia commodissime potuisse imponi. Huc illos ducit referendos quattuor locos (XIII, 54. 60. 80. XIV, 54) historiarum Sicularum, ubi auctores et Ephorus et Timaeus

memorentur. Sed Volquardsenius (l. m. p. 93) iam multo rectius disputavit, haec nomina ab Timaeo desumpta esse, quemadmodum Plutarchum et alios constat ut facta ita nomina complurium auctorum de eodem fonte hausisse. Cum vero Timaeum cum multis fragmentis tum a Polybio doceamur in historiis componendis usque quaque Ephorum respexisse, saepe ab eo dissensisse, saepe eum acerbis corripuisse vituperationibus, consentaneum est, ut doctrinae auceps erat, eum, ubi discreparet ab scriptore illustri, semper indicavisse. Accedit, quod illi numeri, qui libris XIII, XIV, XVI ei adsignantur, certam quandam rationem dissentiendi prae se ferunt: nam eorum, quos Ephorus attulerat, dimidiam circiter partem ponere consuevit. Eandem, quam Volquardsen l. m. in Ephori numeris dispexit, rationem in libro XX adhibitam esse facillime perspicitur. Calliae igitur, quem Timaeus et usurpavit et acerbissime carpsit, numeri ab eo dimidiati esse videntur. Itaque ne opus quidem fuit Diodoro, operam laboriosam voluminum numeri alicuius causa perlegendorum suscipere. Quod autem Haake eum speciem doctrinae adfectasse censet, aliquod exemplum luculentius adferto, ubi tale studium cernatur. Etenim quantum ipse observavi, Diodorus multis exordiis nihil se egisse profitetur, nisi ut multas variasque res usque ad suam aetatem peractas in unum quasi corpus colligeret et, ut facile memoria comprehendi possent, in aptum digereret ordinem: bibliothecam historicam scilicet conscripsit, non historias. Quo consilio ductus cum laborem immensum, quem etiam Nicolaus Damascenus, homo ingenio haud dubie longe praestantiore, Herculis paene vires excedere iudicavit (de vita sua fr. 4), umeris debilibus imposuisset, ipse profecto vice res denuo subtiliter examinandi se supersedere posse censuit, praesertim cum vix ei, qui minora spatia tractabant, altius studium eiusmodi animo percepissent. Deinde cuinam persuadeatur, Diodorum tam immodica stultitia aut imbecillitate animi oppletum obrutumque fuisse, ut sexies nominibus de suo additis fore speraret, ut doctrinae suavem sibi pareret gloriam? Sed quid multis moror? Sapienti iam dudum sat: hominibus aversantibus non persuaseris, quantumvis latera valida defatiges. Equidem pro certo

habendum esse aio, Timaei nomen ubi in Agathoclis vita reperitur, ibi ex auctore Diodori inlatum esse.

Abscondite auctor quidam primo 20, 54, 1 voce ἔνιοι significatur. Hoc loco Agathocles narratur etiam regio nomine sumpto nunquam diademate usus esse, sed coronam floream, qua inde ab eo tempore, cum dominationem adfectavit, ob sacerdotium quoddam caput redimire solitus erat, nunquam deposuisse. Quod ideo potius factum esse additur a nonnullis tradi, quia crinium deformitatem obtegere voluisset. Cum vero ex eis, qui Agathoclis res composuerunt, Timaeum certe eum fuisse compertum habeamus, qui cum aliorum tum maxime Agathoclis factis turpissimas subiungere consuesceret causas, cum eum a Diodori auctore usurpatum esse constet, facillime sequitur, ut illa infesta explicatio ei impertienda sit. Deinde 20, 89, 5 Timaei minori numero cum maior numerus ab ἐνίοις traditus opponatur, liquet maiorem historico aulico deberi.

Transeo ad alteram partem, ubi comparandis Diodoro Iustino (Trogi Pompei epit. l. XXII, XXIII c. 1—3) Polyaeno (Strategicon l. V, 3) demonstraturus ero, unde sua quisque hausisse videatur. Quia autem Polyaenus in his quaestionibus non parvi momenti et ponderis est, paucis antea de eius modo fontium usurpandorum absolvam. Primus qui id quamvis obiter disseruit, Eduardus Woelfflin (ed. praef. XVI—XIV) hanc regulam observavit: ubi complura exempla sese ita exciperent, ut continuam annorum seriem explerent, merito ponendum esse, id non Polyaeni cura factum, sed unum aliquem adhibitum esse scriptorem, cuius ille vestigia pressisset. Haec ratio temporis in strategematis Agathoclis manifesto habita est, sed mirifice res ita evenit, ut ab eo, quod tempore postremum erat, initium fieret, deinceps in eo, quod tempore omnibus antecedebat, desineretur [1]). Atque usque adeo hac immutatione omnia contorta sunt, ut 7 et 8 quamquam unum ad facinus pertinere, sed more Polyaeni duos parietes de una fidelia dealbantis in partes duas distracta

---

[1]) Fortasse §. 1 excipienda est, quod nullo modo definiri potest, quando res ibi narrata acciderit.

esse Diodori 19, 6—9 demonstratur, perverso tamen ordine incedant. Sive autem haec seriei genuinae perversio Polyaeni sive librarii negligentia oborta est, temporum ordinem agnoscendum est quodammodo servatum esse atque inde apparet colligendum, unum omnium esse strategematum auctorem. Neque eius nomen nobis obscurum esse potest, si animadvertimus, de Agathocle eiusque filiis acerbissimum quidque et hac ipsa acrimonia inter ceteras, quae de eisdem rebus traditae sunt, narrationes longe eminens a Polyaeno prolatum esse. Infra Iustini consensu etiam dilucidius efficietur, Timaeum illi praesto fuisse. Hoc iudicium ut nunc iam aliquid stabiliamus, adiungere possumus, maxime probabile esse, Timoleontis strategemata (V, 12) et V, 10, 2 (coll. c. Diod. 14, 55, 1) e Timaeo pendere. Nam Woelfflin erravit, cum a Plutarcho illa deprompta esse diceret. Licet enim in V, 12, 1 dubitari possit, in altera tamen § tantum Polyaenus a Plutarcho discrepat, ut de eadem quidem origine minime ambigi possit, sed unum ab altero sua adripuisse negandum sit. Plutarchus qui sine ulla dubitatione totam Timoleontis vitam Timaeo debuit [1]), actionem quandam Timoleontis, quam Polyaenus sic tradidit, ut odium tyrannorum apertissime ostendat, aliquo modo videtur mitigasse, ut iam non illa Timaei in tyrannos atrocitas conspiciatur. Haake (p 15) quoque recte statuit, Polyaenum Timoleontea a Timaeo repetiisse, sed praepostere hunc posuit in Siculorum strategematis colligendis omnibus scriptoribus ab illo anteponi. Circumspectius enim ut ageret, Woelfflini observatione commoneri debuit, qui (praef. p. XIII adn. 16) 5, 2, 7 et 8 e Dionysii vita petita propter Timaei dissensum apertum ad Ephorum pertinere disseruit. Confidentius igitur quam verius eis, qui Timaei vestigia indagare vellent, Haake suasit, ut Polyaeni V, 2, 7 cum

---

[1]) Timaeus ter nominatur, vit. c. 4 c. 36, c. 2 compar., quae non raro expeditius quam vita fontem commonstrat; praeterea fragmentum (Plut. symp. V. t. VIII, 690 sq. Reisk.) in vit. c. 26 repetitur. Adde huc favorem Timoleontis nimium, quem Polybius Timaeo probro vertit, patris Andromachi mentionem honestissimam, Siciliae cognitionem accuratam, famosam illam prodigiorum et ominum verecundiam, Philisti castigationem, Nepotis consensum alia.

Diod. 16, 11 conferretur, quorum ille e Dionis Plutarchei c. 31 convincitur se ad alium ac Timaeum applicavisse, et 5, 2, 5 cum Diod. 14, 15 compararetur, qui loci comparationem prorsus recusant. Illo enim narratur a Naxiis proditionem imminentem tempore detectam esse, ita ut Dionysius novas praestigias inferre cogeretur. Verum Diodorus, illa ipsa proditione Proclis ducis Naxiorum oppidum in Dionysii potestatem redactum esse et extinctum, certo tradidit. Nisi igitur acies animi mei praestricta est, parilitas, quam Haake exploravisse sibi visus est, iam tenues vanescit in auras. Sed redeundum tandem est eo, unde digressi sumus, ut Polyaeni narratiunculas cum eis, quae Diodorus de Agathocle memoriae mandavit, conferre aggrediamur.

Atque in strategematis septimo et octavo, quae ad unum factum pertinere supra dixi, partim Polyaenus cum Diodoro tanto facit opere, ut eadem verba utrobique occurrant, partim res diversissimas praebet. Agathocles ab illo narratur, cum Tisarchum, Anthropinum, Dioclem eorumque amicos insidias sibi parare cognovisset, eos fraude ac dolo occupasse: pollicitus enim, se eis magnas copias traditurum esse, ut confestim oppido socio succurrerent, iussit eos proximo die ad Timoleonteum convenire, ut res militares ante profectionem communi opera ordinarent. Illi gaudio expleti cum eo coiissent, Agathoclis iussu prehenduntur. Milites (Polyaenus *οἱ δὲ* negligenter loquitur, tametsi milites antea nondum nominavit) signo dato Tisarchum ceterosque una cum comitibus ducentis occidunt, deinde qui eis subveniebant, homines sexcenti eadem sorte adfliguntur. Diodorus Anthropini nomen omisit, sed tantum Tisarchum et Dioclem memorat eosque optimatibus praefuisse docet; aeque conventum eorum ad Timoleonteum factum esse perhibet, cum expeditio quaedam pararetur, quam contra Erbitanos Agathocles ipse suscipere voluisset. Itaque causam convocandi non eandem atque Polyaenus adiecit, verum haec verba leguntur *ὡς περί τινων κοινῇ συμφερόντων διαλεξόμενος*, qua ex significatione generali suspicio movetur, Diodori auctorem duabus rebus contrariis vexatum ad verba minus distincta confugisse. Eiusmodi coniecturam concipere minime temerarium esse eis, quae infra

disputabuntur, probabile fiet. Sexcenti illi autem, quos Polyaenus tum interfectos esse dicit, re vera senatum optimatium effecerunt, quem militibus initio trucidandum Diodoro teste Agathocles permisit. Verum tamen gregarii sanguine effrenati longe plures eadem strage obruerunt, quorum numerum Polyaenus §. 7 attulit, sed qui a Diodori 19, 8, 2 differat. At enim harum rerum nemo facile requiret consensum, cui negligentia scriptorum posteriorum cognita sit.

Multo planius, quae inter Polyaeni et Diodori auctores ratio intercedat, e strategemate septimo discimus. Etenim eorum unum ad alterum se applicavisse verbis excriptis clare ostenditur:

Pol. 5, 3, 7	Diod. 9, 1—2
ὁ δὲ συναγαγὼν τὴν ἐκκλησίαν τῶν Συρακουσίων „Ταύτην τὴν ἡμέραν ηὐξάμην ἐν ᾗ οψομαι τοὺς πολίτας τὴν ἐλευθερίαν ἔχοντας. Ταῦτα λέγων, τὴν χλαμύδα περιελὼν καὶ τὴν μάχαιραν, αὐτὸν ἰδιώτην ἀπέφηνε.	*μετὰ ταῦτα συναγαγὼν ἐκκλησίαν . . . καθαρὰν δὲ φήσας τὴν πόλιν πεποιηκέναι τῶν δυναστεύειν ἐπιχειρούντων ἀπεφαίνετο τῷ δήμῳ τὴν αὐτονομίαν εἰλικρινῆ παραδιδόναι καὶ βούλεσθαι .... ἰδιωτεύειν. καὶ ταῦτα λέγων τὸ μὲν χλαμύδιον ἑαυτοῦ περιέσπασε, ... τῶν πολλῶν ἑαυτὸν ἀποδείξας ἕνα.*

Quamvis igitur similitudo ampla hic reperiatur, nihilo minus de gravissimis rebus inter utrumque neutiquam convenit, sed Polyaenus concordia narrationis Iustino iungendus est. Ille enim post indutias cum Carthaginiensium duce Hamilcare ictas Agathoclem consilia rei publicae evertendae animo concepisse indicat, quae sententia e Iustini cap. II completur sic narrantis, Hamilcaris ope Agathoclem non solum Syracusas reductum, sed etiam praetorem constitutum esse; cui beneficio ut gratias debitas referret, eum insignibus Cereris expositis sacramento se obstrinxisse, Poenis sese semper obtemperaturum. Postea quinque milia Afrorum ab Hamilcare illi data esse, quorum auxilio potentissimos quosque civium interficeret. Contra apud Diodorum vehementer mirandum est nec volam nec vestigium subsidii societatisve Poe-

norum posse deprehendi, verum etiam bis accurate enuntiatur (19, 5, 2. 6, 2) Agathoclem cum in exilium pulsus esset, cum Poenis belligeravisse. Deinde in patriam ut reverteretur, libero arbitrio civium reconciliatus in Cereris fano iuravisse fertur, se populari dominationi non obstaturum. Haec relatio, quam funditus a Polyaeno et Pompeio discordare manifestum est, eo consilio proprie composita esse mihi videtur, ut Agathoclem ea, quae fecisset, ad populi arbitrium executum esse, eum totius civitatis consensu dominationem optimatium dissolvisse, legitime autem et optimo iure summam potestatem summo magistratu delato adeptum esse demonstraret. Ad eam sententiam compluribus rationibus deducimur.

Primum quamquam Agathocle Syracusas reverso senatus (*συνέδριον*) sexcentorum virorum nobilitate et divitiis praestantium legitime creatus urbem *ὀλιγαρχικῶς* administravit, ille tamen iurat (5, 4), democratiae se nihil oppositurum esse. Porro hic senatus 6, 4 *ἡ τῶν ἑξακοσίων ἑταιρεία* nominatus, licet sine dubio lege a civitate constitutus sit. Deinde dominatione optimates propterea deiectos esse proprie traditum erat, quod cum Agathocles apud multitudinem questus esset, se propter vulgi caritatem a primoribus rapi, tantus statim omnium ardor excitatus esset, ut armis captis nobiles tollerent. Hanc descriptionem, quam ipse effinxi, vere genuinam esse, ex eo documento certo perspici potest, quod semel ita mutata est, ut alius locus discreparet.

Nam eidem milites, apud quos (6, 4) se propter benevolentiam in plebem a nobilibus abripi Agathocles loquitur, paullo supra (§. 3) ideo electi dicuntur, quia sexcentos viros semper animis infensis tulissent *καὶ καθόλου τὸν δῆμον ἐμίσουν ἀναγκαζόμενοι ποιεῖν τὸ προςταττόμενον*. Hac una discrepantia, quam in fonte primario obvenire potuisse pernego, optimo iure ad id adducimur, ut a scriptore posteriore expositionem alicuius historici, qui Agathoclem omnia e plebeiscito egisse ostendere vellet, ita immutatam esse existimemus, ut Agathoclem specie auram popularem captasse, re vera etiam democratiam sustulisse narraret. Cum vero ex eis, quos nos noscimus, scriptoribus Agathoclis aequalibus Calliam vel Antandrum res veras illo modo formasse et va-

riasse manifestum est, iam comprobatum esse spero, Diodori auctorem alterutrum illorum maxime usurpavisse. Cur de Callia potius cogitandum sit, ex eis quae p. 8 disputavi elucet. Verum tamen Timaeum non prorsus neglectum esse, sed ad res leviores adhibitum, et Polyaeni similitudinibus demonstratur et aliis causis ostenditur, quas priusquam explicem, illud quod de Timaeo Polyaeni auctore adhuc conieci magis quam accurate confirmavi, ratiocinatione e Iustino ducenda tenere et tueri in animo est.

Atque Trogus Pompeius quae de pueritia et adulescentia Agathoclis prodidit, ea tam malignitatis plena sunt et tam plane cum eis conviciis, quibus Timaeum Polybius [1]) ait Agathoclis vitam obtexisse, consentiunt, ut iam Heeren Trogum ab isto obtrectatore mordaci et mendaci aptum fuisse rectissime perspexerit. Idem vero maledicendi studium in capite secundo cernitur, ubi Agathocles perfertur praesidio Punico in patriam revertisse eiusque perdidisse libertatem, ubi sententia haec ornatissima legitur (§. 4): „ita uno eodemque tempore Syracusae et ab hoste civili amore defensae et a cive hostili odio impugnatae sunt.“ Sed haec tota societas Hamilcaris mihi fabula videtur idemque iam a Diodori auctore existimatum esse supra disserui. Nimirum Timaeus cum Syracusanos, quos omnium hominum fortissimos esse et praeclarissimos per totum opus praedicabat, defendere vellet nunquam iugum servile sibi ipsos imposuisse (cf. Diod. 21, 17, 3), Agathoclem insimulare non veritus est, cum Poenis, hostibus Siculorum inimicissimis, societatem fecisse, ut eorum opibus et patriam et libertatem extingueret, quin etiam ne id quidem abstinuisse, quin eis in Dearum domesticarum fano sanctissimo sacramento se obstringeret. Quam parum verisimile sit, Syracusanos Carthaginiensium subsidia imploravisse,

---

[1]) Polyb. 12, 15, 1: *κατὰ τὴν πρώτην ἡλικίαν κοινὸν πόρνον, ἕτοιμον τοῖς ἀκρατεστάτοις, κολοιόν, τριόρχην, πάντων τῶν μολυνομένων τοῖς ὄπισθεν ἔμπροσθεν γεγονότα.* Iust. l. 22, 1. Quippe in Sicilia patre figulus natus non honestiorem pueritiam quam principia originis habuit, si quidem forma et corporis pulcritudine egregius diu vitam stupri patientia exhibuit. Annos deinde pubertatis egressus, libidinem a viris ad feminas transtulit.

ut a se impetum Agathoclis propulsarent, et Hamilcare internuntio adductos esse, ut hunc in urbem reciperent, porro quam incredibile sit, tantas copias Afrorum nescio qua specie ac simulatione in urbem inductas esse, cuivis apparet contemplanti, Poenos semper in odio summo Syracusanorum fuisse, nullum aliud notum esse exemplum, ubi ei ad res domesticas urbis Siciliae opulentissimae fingendas ac formandas floccum valuerint vel adeo exercitum eo immiserint. Semel tantum Hicetae Leontinorum tyranni, Syracusanorum inimici, proditione Carthaginienses in urbem inductos esse compertum habemus. Deinde si quae partes Carthaginiensibus favebant, optimates ei fuerunt, patriae minus, ut fit, quam dominandi avidi, verum plebem nunquam non et illos odisse et in eorum odio fuisse videmus. Adde huc quod Timaeum convincere possumus idem aliis quoque tyrannis crimen temere obiecisse. Testis est Theodori Syracusani oratio quam Diod. XIV, 65—69 ab illo repetiit et ea quae c. 75 de Dionysio relata sunt. Denique etiam tacita illa suffragia senatus Carthaginiensis in Hamilcarem lata, in urnam coniecta, obsignata dum reverteretur, eius matura mors, alterius Hamilcaris creatio fabulae commentitiae speciem mihi videntur prae se ferre, Timaeo sane non indignae, quem de rebus Punicis multas nugas divulgavisse Polybius testatus est. Quoniam autem in Pompei narratione percensenda versor, hoc loco inserere expedit, quid iste ad c. I aliunde atque a Timaeo hauserit, quid Iustinus perturbaverit. Mirandum est, quod iuxta crimina petulantia Agathocli inlata laudes haud tenues ei §§. 9—12 tribuuntur, veluti „magna experimenta sui Syracusanis dedit“ et „tantam de se spem omnibus fecit“, quales ab inimico asperrimo certo tribui non solent. Accedit Diodori similitudo 3, 2 sic iudicantis: *φιλοκίνδυνος μὲν ὢν καὶ παράβολος ἐν ταῖς μάχαις, ἰταμὸς δὲ καὶ πρόχειρος ἐν ταῖς δημηγορίαις*, quibuscum verbis conferenda Iustini I, 9 „Nam et manu strenuus et in contionibus perfacundus habebatur.“ Hinc suspicio iusta inicitur, Trogum Pompeium etsi plerumque ad hanc partem componendam Timaeum unum adhibuit, nonnumquam ad alterum se convertisse atque eius verba cum ceteris aliquo modo conglutinasse: id quod eis quae sequuntur planius opinor

evincetur; partim enim narrationem videbimus a Iustino promi Agathocli multo honestiorem quam a Diodoro et Polyaeno. Restat, ut de Iustini neglegentia pauca addam. Diodorus caedes, quibus dominatio optimatium eique ipsi praecipites exturbabantur, duobus deinceps diebus perpetratas esse refert; Polyaenus duas statuit strages, unam sexcentorum virorum (8. 8), qua confecta Agathocles plebei plenam reddit libertatem et plenam inde accipit potestatem, deinde alteram post sextum diem, quo multi necantur, sex milia hominum expelluntur. Ex his duabus Iustinus tres fabricatus est, primum principum, deinde senatus, denique potentissimi cuiusque de plebe. Porro quod illi principes ad Timoleonteum (quod Iustinus in gymnasium vertit) convocati dicuntur, ut profectionem ordinarent, iste ita mutavit, „senatum ab Agathocle coactum quasi quaedam prius in eo ordinaturo quam novam reipublicae formam constitueret.“ Atque hunc senatum commentus est eodem tempore habitum esse et contionem illam, qua novae leges a senatu approbatae ferrentur. Utrosque autem bifariam ideo contractos esse dixit, ne inter se (scilicet sexcenti plebei) succurrere possent. Tota perversitas satis superque eo perspicua est, quod principes qui dicuntur, a senatu perperam distinguuntur. Sed nunc expeditius ad Diodorum revertamur vestigia Timaei et Calliae indagaturi.

Quae de pueritia et adulescentia Agathoclis a Diodoro narrantur, tam honesta sunt et tam aliena ab eis, quae Timaeus Polybio teste profuderat, ut hoc tantum sine dubio adfirmari possit, eum non esse usurpatum, plus autem inde colligere non audeo. At de duobus ominibus, quibus futuram vitam tyranni significatam esse dicitur, fortasse conicere licet unum a Timaeo, alterum a Callia arcessitum esse. Etenim prius cum Delphos nuntiatum esset, Pythia praesagivisse fertur, puerum quondam et Poenis et Siculis perniciosum fore, e posteriore autem viri vaticinandi scientes cognoverunt, eum magnitudine eximia praestaturum esse. Denique capite octavo puto Timaei vestigium quoddam patere. Nam postquam strages illae horrendae, quibus milites Agathoclis urbem impleverant, ample descriptae sunt, querelae inveteratae pro-

muntur, fana delubraque deorum sanguine maculata, mulieribus vim allatam, ne virginum quidem pudicitiae effrenatam militiae licentiam pepercisse, quia fugitivis salvis morte maior poena visa essent stupra sororum et coniugum. Has voces miserabiles ab historico aulico non editas esse consentaneum est, sed quo referendae sint, e §. 4 adsequimur, ubi haec insunt verba *ἀφ᾽ ὧν ἡμῖν περιαιρετέον ἐστὶ τὴν ἐπίθετον καὶ συνήθη τοῖς συγγραφεῦσι τραγῳδίαν, μάλιστα μὲν* cett. Hanc censuram ne a Diodoro adiectam esse ducamus, compluribus argumentis prohibemur. Inprimis minime credibile est, eum postquam prioribus libris non dubitavit idem genus descriptionum admittere, repente initio noni decimi aculeis et scrupulis cogitationis eo adductum esse, ut quae iam excerpserat perperam narrata esse arbitraretur. Unum adferam exemplum, cuius compositio ei quem tractamus loco mirifice par est, l. XIII, 57 et 58, quibus Selinus a Poenis capta adumbratur. Utrobique enim postquam mulierum calamitates usitatae lamentabili voce deploratae sunt, uti gravissimus epilogus reservatus additur, partem hominum miserorum salvam vel superstitem secum necessario reputasse, suam aerumnam aegrius quam mortem tolerandam esse. Cf. 13, 58, 1—2 et 19, 8, 3. Hinc colligendum esse puto primum Diodorum, qua fuit arbitrii abstinentia, illam censuram non de suo adiecisse, deinde eius auctorem cum stragium descriptionem a Timaeo, quem libri tertii decimi similitudo prodit, nomine addito repetivisset, castigatoris officio severo perfunctum esse.

Accedimus ad Diod. 19, 65. 70—72, 2. Quamquam 9, 7 expeditiones ab Agathocle in Sicilia gestas iam his paucis verbis *προςελάβετο δὲ καὶ τῶν ἐντῇ μεσογείῳ χωρίων καὶ πόλεων τὰς πλείστας* breviter comprehenderat, c. 65 tamen particulam quandam horum certaminum e continuatione serieque rerum temere divulsam protulit. Atque aperta signa ibi reperiuntur, quibus illud propterea factum esse demonstretur, quod Diodorus alio fonte usus sit. Nam quod 65, 5 legati Carthaginiensium advecti esse narrantur, qui Agathoclem arguerent foedus violavisse, repente istud foedus emergitur, cuius supra a Diodoro ne tenuissima quidem mentio facta erat,

verum eam Polyaenus et Iustinus pariter provulgaverunt. Neque igitur dubium esse potest, tunc Diodorum ad eiusdem scriptoris historias, quas illi duo expresserunt, se applicavisse, h. e. ad Timaeum. Cum porro c. 71, 6 Hamilcarem Carthaginiensem internuntium esse comperiamus, cuius auctoritate inter Agathoclem et inter Agrigentinos Geloos Messenios pax componeretur, ea quoque capita pro certo habendum est Timaeo adsignanda esse. Sed c. 102, 1 (a. 314) ab hoc iterum recessit. Nam non solum pacem cum Siculis praeter Messenios factam esse ibi dicitur, sed etiam foederis cum Hamilcare vel Poenis icti memoria confestim dilapsa est. At vero si c. 102 idem fons, qui c. 71, extaret, profecto non praetermissum esset, quomodo pactio illa esset rupta. Neque inde causa silentii duci potest, quod Diodorus res brevius perstringat, immo quemadmodum usque quaque in rebus Siculis exponendis, sic c. 102 omnia late explicat.

Atque Iustinus quidem cum eis quae cc. 65—72 a Diodoro narrata sunt in universum consentit. Nam causam belli movendi Agathocli fuisse narrat, quod Hamilcare amico Carthaginem revocato et mortuo alter Hamilcar in Siciliam venisset. Similiter Diodorus c. 72 dicit Agathoclem magnas copias comparasse, omnia instrumenta bellica industrie instruxisse, quod pactionem suam cum Hamilcare ictam Carthagine reprehensam esse certior factus esset. Contra de eis quae sequuntur Iustinus (c. 3, 2) et Diodorus (103, 1) inter se dissentiunt. Ille enim, querelas, inquit, Carthaginem socii non tam de Agathocle quam de Amilcare detulerunt, hunc ut dominum et tyrannum, illum ut proditorem arguentes. Contra Diodorus Dinocrate, fugitivorum potentissimo, auctore legatos ad Poenos missos esse ait, qui eos monerent, nisi tempore succurreretur, Agathoclem totam insulam suae dicionis facturum. Hoc igitur teste non Agathocles is fuit, qui cum Poenis faceret, sed optimates exules. Ita proclive est dictu, Pompeium etiam c. III auctoritati Timaei adiunctum esse, Diodori vero auctorem ad historicum potius aulicum animadvertisse.

Priusquam hinc ad res Libycas disputationem producamus, refutatio negligentiae sordidae Iustini non est superse-

denda. Agathoclem bello contra Poenos oborto adfert in Sicilia bis cum eis congressum esse, bis esse victum (3, 9—10). Diod. autem 104, 2 optimatium exercitum ab Agathocle fugatum esse prodit, deinde Poenos ad pugnam provocatos castris se continuisse (ib. §. 4); quo factum esse, ut ille tamquam victor rediret fanaque deorum spoliis ornaret. Iterum vero cum Carthaginenses ad certamen pellexisse, casu eum potius quam culpa esse devictum. Ex eo facile cognoscitur, a Iustino etiam priorem reditum Agathoclis quamvis invicti temere loco cladis habitum esse. Agathocles cum a Poenis obsessus a sociisque desertus nullam spem salutis relictam esse vidisset nisi conatu magno res expediretur, in animum induxit bellum in Africam transferre. Ne autem absente se adversariorum suorum consiliis perniciosis dominatio in discrimen incideret, Diodoro teste cuilibet, qui obsidionem diuturnam perpeti nollet, libertatem cum suis ex urbe decedendi dedit. Qui hac facultate utebantur, eos cunctos a mercennariis occidi iussit, quo eorum opibus expeditio, quam in Africam moturus erat, lautius instrueretur. Neque autem hoc dolo contentus erat, ut pecuniam extorqueret, sed alias machinationes non secus nefarias molitus est, feminas ornamentis expoliavit, orborum liberorum fortunas in aeternum nullo pretio conduxit. Idem fere Polyaenus tradidit, documento sint verba similia.

Pol. 5, 3, 5:
ἐπιτρέπω τοῖς βουλομένοις ἑαυτοὺς σώζειν ἐξιέναι τῶν νεῶν μετὰ τῶν ἰδίων κτημάτων ἐξῆλθον συχνοί. Τοὺς μὲν δὴ ἔκτεινε πάντας.

Diod. 20, 4, 7:
διεκελεύετο οὖν σώζειν ἑαυτοὺς μετὰ τῶν ἰδίων κτήσεων τοὺς μὴ βουλομένους ὑπομένειν . . . ἐξορμησάντων δ' . . . . ἐπαποστείλας τινὰς τῶν μισθοφόρων ἀνεῖλε.

Una de re dissentiunt. Nam Polyaenus permissum esse dicit, ut quivis ex navibus cum suis rebus escenderet, Diodorus ex urbe. Sed cum nemo, qui militandi causa naves conscendat, omnia sua comportare soleat, nisi idem sit philosophus egenus, Polyaenum bona sua facultate dormitandi in errorem ductum esse apparet. At Iustinus profectionem Agathoclis mira lenitate egregiam fuisse narrat. Nam haec

fere pertulit: Agathocles mille sexcentos, qui licentia libere discedendi utebantur, ne hilum quidem impugnavit, eis vero, qui remanebant, summam clementiam praestitit, frumento enim eos et stipendio instruxit, ut obsidionis necessitatem facilius perferrent. Tantum porro abest, ut repetundarum sicuti a Diodoro accusetur, ut L talenta tantum ad praesentem usum abstulisse dicatur, „cetera ex hoste melius quam ex sociis paraturus.“ Quae sententia quam mirificam mitigationem morum Agathoclis contineat, facile elucet, modo conferantur haec verba Diodori 20, 89, 6: *ἀεὶ γὰρ ὁ τύραννος οὗτος τὴν ἰδίαν δύναμιν οὐκ ἐκ τῆς περὶ αὑτὸν δυνάμεως, ἀλλὰ ἐκ τῆς τῶν ὑποτεταγμένων ἀσθενείας περιεποιεῖτο, πλεῖον δεδοικὼς τοὺς συμμάχους*. Neque autem Diodori auctorem in Agathoclem severius invectum esse, sed iudicii temperantia praestare supra indicavi. Quare nemo iam erit, quin agnoscat, eo quem tractamus loco Trogum Pompeium non Timaeum adhibuisse, praeterea autem eum hic illic duorum fontium narrationes commiscuisse. Etenim postquam modo „sociis crudelitate eius offensis“ legimus, continuo poscimur, ut eiusdem tyranni exemplum mitigationis eximium veritate non carere credamus. Eadem re apertum est, Pompei coagmentationes sine iudicii subtilitate factas esse videri. Diodori vero auctorem in eis, de quibus agimus, rebus enarrandis prorsus Timaeum secutum esse, et Polyaeni consensu efficitur et miseratione ac luctu imaginis feminarum orborumque inopum satis comprobatur (§. 8).

Eundem fontem, quo Trogum initio c. 4 (§. 3) usum esse vidimus, per longius spatium summatim adhibitum esse, facile omnes concedent. Neque enim mitius modo iam iudicium fit, sed etiam actiones Agathoclis cura quadam atque admiratione comprehenduntur, quae in industria eius diligenter explicanda distincte conspicitur. Veluti c. 5 oratio, quam Agathocles in litore Africae ex adventu habuisse fertur, benivolentissime conscripta est, cfer as etiam 6, 2, 11. Adde rem non levis momenti, quod 6, 2 Agathocles rex vocatur, quamquam ipse regium nomen quattuor annis post tempus illa §. indicatum sumpsit. Atque 1, 1 et 3, 3, ubi Timaei vestigia Trogus presse secutus erat, tyrannus nominatus est. Apud Diodorum

autem etiam post annum 306, multorum regum parentem, ὁ δυνάστης vocabulum reperitur, ut 20, 68, 4. 69, 2. Iure igitur tuo putaveris, Trogi fontem ex aula Agathoclis fluxisse, ubi adsentatores faciles nomen regium etiam prioribus annis consignare videlicet cito festinaverunt [1]). Sed ut iam ad Diodori ac Iustini narrationes comparandas transeamus, Diodorus cum Iustino modo consentit, modo dissidet. Uterque narrat, cum nemo consilium Agathoclis compertum habuisset, suspicatos esse homines, ad Italiam devastandam classem parari vel ad Carthaginiensium agros populandos, — quos Iustinus Sardinienses, Diodorus Siculos dispariliter declarant —, Agatharchum et Heraclidem, Agathoclis filios, ei comitatos esse (a Diodoro postea saltem memorantur), navigantibus eis solem defecisse, Agathoclem oratione in ora habita naves incendisse. Quo consilio id facinus audacissime commissum sit, uterque aequis verbis exponit, ut eundem utrobique fontem praesto fuisse recte suspicari possimus. Cf. Iust. 22, 6, 4 ut omnes scirent auxilio fugae adempto aut vincendum aut moriendum esse. D. 20, 7, 5 δῆλον γὰρ ὅτι τῆς ἐπὶ τὰς ναῦς καταφυγῆς ἀποκοπείσης ἐν μόνῳ τῷ νικᾶν ἕξουσι τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας. Quamquam igitur similia minime desunt, tamen in eisdem locis inveniuntur quae disparia sint. Conferas modo quam diversa uterque iudicia faciat. Iust. 6, 2 cuius rei (quod sol defecerat) rationem non minore cura rex quam belli reddebat. §. 4. Sic consolatis militibus universas naves consentiente exercitu incendi iubet. D. 20, 8, 1 ἐν ἀρχῇ μὲν γὰρ ὑπὸ τῆς Ἀγαθοκλέους γοητείας παραλογισθέντες .... εἰς μεταμέλειαν ἐνέπιπτον. Itaque haud dubie agnoscendum est,

---

[1]) Haake p. 36: Trogum Pompeium non secus ac Diodorum Duride usum esse voluit, vel per Phylarchum Duridis verba accepisse. Sed cum Iustinum multa mitius narrare quam Diodorum facile ad perspiciendum sit, sequitur Trogum ad eundem, quo Duris — sive nunc dicere mavis Diodori auctor — aditum habuit, fontem se aliquoties contulisse. Quam temere Haake adductus sit ut crederet „constat quantum Phylarchi auctoritas Trogo, Duridis valuerit Phylarcho“, infra ostendam. Ceterum ego ne somnio quidem auguror, quare Phylarchus tot tantasque de Agathocle digressiones facere vel voluerit vel potuerit, quot Haake sine cunctatione sibi finxit.

Diodori auctorem uni exemplari certo se nusquam addixisse, sed libero arbitrio et iudicio servato hinc illinc materiam ad res perscribendas collegisse, omnia cogitate conexisse sciteque aptavisse. Nusquam commissuram hiantem inveneris, sed vinculo unius existimationis cunctas res penitus comprehendentis tota narratio arte adstringitur.

Ceteras res quae usque ad Ophellae adventum evenerunt, Iustinus tam paucis absolvit, ut comparatio Diodori supersedenda sit, qui quidem hic quoque praestantiam servat. Magna autem vis ad quaestiones fontium enodandas in eis est, quae a Polyaeno Iustino Diodoro de nece Ophellae (I. Aphellae formam praebet) diverse tradita sunt. Polyaenus quidem (5, 3, 4) hoc foedum facinus accepit: ab Agathocle Heraclidem, filium puberem et venustate insigni praeditum, obsidem ad Ophellam missum esse, quia notum fuisset, eum puerorum et adulescentium cupiditate impudica flagrare. Heraclidem iussum esse eum illecebris irretire, sed libidinem eius non satiare. Ophellam huius adspectu ita occaecatum esse, ut incautus ab Ag. occuparetur necemque subiret. Haec narratio, qua nihil est turpius, a Trogo Pompeio ita mitigata est, ut Heraclidem adoptatum ab Ophella faceret. Etenim eum eo loco (7, 5) ad Timaeum rediisse ex eo cognoscimus, quod et ipse rursus de Agathocle asperius iudicat. Nam Iust. haec exhibet verba: Agathocles blando adloquio et humili adulatione incautum interficit. Quodsi Polyaenus obsidem Heracliden fuisse declarat, id neque a Trogo neque a Diodoro est traditum ac ne verisimile quidem. Nam cum Ophellas et Agathocles societatem sponte sua paciscerentur, ut hostem communem persequerentur, consentaneum est, obsidibus opus non fuisse. Quapropter Polyaenum suo Marte rem finxisse arbitror: neque enim ab eo, qui nihil attenderit nisi quomodo doli belli evaderent, rerum ceterarum accuratam tractationem expectare possumus. Dissidet ab Pol. et Iust. Diodorus, qui Heraclidae nullam omnino mentionem facit, sed rem sic explicat: Ophellas cum ab itinere molestissimo ad fines Punicos advenisset, humane ab Agathocle omnibus rebus necessariis instructus est, deinde cum eius milites ad frumentandum passim palarentur, Agathocles apud exercitum eum

accusavit sibi insidias parare, qua oratione multitudo cito incitata est, ut illum interficerent. Tribus his inter se comparatis pro certo duci posse arbitror, Polyaenum et Iustinum adfinitate quadam coniunctos esse cumque Timaeum alibi secuti sint, cum porro eum sciamus omni genere conviciorum immoderate exultasse, ad hunc auctorem esse referendos; Diodori vero auctorem, improbitatis Agathoclis illum quidem non ignarum, Timaei tamen exuperatione repudiata propriam viam atque, ut mihi quidem videtur, rectiorem ingressum esse. Ceterum Aphellas in numerum regum sociorum Carthaginis nulla alia ratione apud Iustinum devenisse mihi videtur quam huius ipsius negligentia usitata.

Reliqua pars libri XXII Iustini summatim a Diodoro non abhorret, sed cum singulae res plerumque omissae sint, adminiculo caremus, quo adnixi ad origines narrationis Diodoreae perveniamus. Una tamen in re, ubi scientia civitatis Carthaginiensis clara elucet, cognosci potest, Timaeum, utpote quem rerum Punicarum imperitissimum fuisse Polybius testetur, ad eam non adhibitum esse. Quae Iustinus (7, 6) de Bomilcare prodit, satis mira sunt et fortasse aliquo modo obturbata. Narrat enim haec fere: Cum Agathocles Ophellae exercitu recepto pugnam cum Poenis commisisset, rem tam prospere processisse, ut Bomilcar — qui rex Poenorum vocatur —, ad eum transiturus fuisset, nisi simul illius in exercitu seditio esset orta. Ob quam noxam eum patibulo suffixum esse, sed crudelitatem civium magno animo tulisse. De cruce enim summa veluti de tribunali eum civibus scelera obiectasse, se amicum maluisse Agathoclem quam hostem. Hac oratione cum tacita in Hamilcarem suffragia memorata sint, liquet eundem qui c. 3 auctorem praesto fuisse — i. e. si quidem supra recte disputavi, Timaeum — nisi forte Trogus orationes perosus hanc ipse interposuit. Diodorus vero et diversam praebet narrationem et quae multo probabiliorem ordinem seriemque rerum adferat. Universe enim tradit Bomilcarem (20, 43 sq.) tyrannidem adfectasse, sed tempore a civibus compressum esse. Praeterea vero ostenditur, quibus rebus Bomilcar ad illud consilium impulsus sit (20, 10, 2. 12, 5), qui factum sit, ut rem iam diu diligenter paratam per-

sequi saepenumero cunctaretur, mirum esse additur, ei prorsus non in mentem venisse cum Agathocle, quamquam is iuxta moenia Carthaginis castra posuisset et ipse rebus studuisset novis, consilia sua communicare. Quae cum ita sint, sequitur, Diodori auctorem in his rebus enarrandis a Timaeo recessisse, sed peculiares nuntios nactum esse. Nam ne de Callia cogites, aperta expositione perfidiae Agathoclis prohibearis.

Iustini XXIII, 1—2 et Diodori XXI, cuius pauca fragmenta tantum aetatem tulerunt, silentio praetermitti possunt. Sed tamen hoc tantum adfirmare licet, neque ea, quae Iustinus neque quae Diodorus de morte Agathoclis narrat, a Timaeo tracta esse, qui quam acerbe etiam exitum eius descripserit, Polybius (12, 15) demonstrat. Iustini relatio cum eandem benivolentiam in tyrannum et lenitatem, qua nonnullae proximi libri partes, resipiat, ad historicum aulicum ducimur. Quae autem Diodorus tradit, hac temperantia indigent eiusque auctori propria esse existimanda sunt.

Superest denique Polyaeni strategema tertium ut cum Diod. 20, 63 conferatur. Quanta similitudo eorum hoc loco sit, optime verba excripta docent:

Pol.	Diod.
Ἀγ. πυθόμενος τοὺς ἐν τέλει Συρακουσίων νεωτερίζειν, Καρχηδονίους νικήσας, θύων ἐπινίκια πεντακοσίους ἄνδρας τοὺς ὑπόπτους ἐπὶ τὴν ἑστίαν ἐκάλεσεν ..... Ἐκυκλώσαντο τὸν ἀνδρῶνα ὁπλῖται πολλοί ...., πάντας ἀπέσφαξαν τοὺς κατακειμένους.	1. Ἀγ. νενικηκὼς τοὺς πολεμίους ἔθυε τοῖς θεοῖς .... 6. τοὺς ἀλλοτρίως πρὸς τὸν δυνάστειαν ἔχοντας παρέλαβεν ἐπὶ τὴν ἑστίασιν καὶ τῶν ἄλλων Συρακουσίων τοὺς πεφρονηματισμένους, τὸν ἀριθμὸν πεντακοσίους ὄντας. οἷς, περιστήσας τῶν μισθοφόρων τοὺς εὐθέτους ἅπαντας ἀπέσφαξε.

Cum utrumque quodammodo ab eodem fonte hausisse agnoscendum sit, exploratum autem habeamus, Polyaenum Timaeo se adiunxisse, iam ea, quae apud Diodorum diversa reperiuntur, sequitur, contaminatione accessisse. Ergo si Diod. duo statuat convivia, unum amicorum, alterum eorum, qui

morti destinati erant, eius auctori duas narrationes obversatas esse existimo, quarum una solum amicorum epulas contineret, altera adversariorum. Contaminationis signum duco, quod permultae narratiunculae per saturam inter duo convivia interpositae sunt, quae et oblectationis plenissimae sunt et ad sollertiam atque dicacitatem Agathoclis accommodatissimae. Eas ad Diodori auctorem revocandas esse ideo obscurum non est, quod aliae honorificae sunt, aliae turpiores, et quod illum digressionibus amoenis et voluptariis lectorum satietati subvenire voluisse, aliis quoque partibus adfatim ostenditur.

Quae adhuc disputavi, in eo versata sunt, ut signa colligerem, quibus a Diodori auctore et Timaei historias et Calliae usurpatas esse cognosceretur, sed esse nequaquam tantum compilatas. Omnibus enim in partibus planissime perspeximus eius iudicium et ab iniquitate et ab adsentatione aeque remotum fuisse, eum res traditas ratione ponderavisse. Neque locos deesse vidimus, ubi nuntii probe credibiles ab eo ipso explorati sint. Iam vero ex Diodori ipsis verbis eruamus, quale ille scriptor in historiis suis componendis consilium atque rationem secutus sit, quae certae res eius propriae deprehendi possint. Hoc modo si imaginem eius animo conceperimus, nobis id quoque eventurum esse sperari potest, ut huius auctoris, quem tam multum in ore habemus, nomen appareat.

Atque primum quidem historicus noster summa diligentia enixus est, ut, quae consilia hominum et quibus rationibus capta essent, explicate diceret. Neque rara eiusmodi exempla reperiuntur, ubi res deinceps gestas animo et cogitatione percurrit quaerens, quemadmodum factum sit, ut aliquis praeter opinionem et rationem egisse videretur, vel quare ea, quae stabilia viderentur repente funditus eversa sint, ea vero quae infirmitate vix stare posse viderentur, valide corroborata sint et erecta. Atque partim causas ex animis hominum prompsit, partim causas inveniri posse desperans mirationem pronuntiat. Adde huc propriam de fortunae vicissitudinibus opinionem, in quibus res tamquam in orbe versari putat continuoque mutationibus improvisis obnoxias esse, serius ocius interituras. Liceat hoc genus sententiarum nonnullis exemplis

illustrare. 20, 43, 1 causa adfertur, cur Bomilcar tot occasionibus opportunis oblatis utique re exigua permotus sit, ut diutius cunctaretur. δεισιδαίμονες γὰρ οἱ μέλλοντες ἐγχειρεῖν ταῖς παρανόμοις καὶ μεγάλαις πράξεσι. ib. §. 5 quaeritur, quomodo evenerit, ut Bomilcar et Agathocles, quamquam eadem in regione uterque maxima consilia moliebatur, ad quae perficienda plurimum intererat alterius noscere res, ne minimum quidem unus de altero compertum haberet. Causa ex animorum adfectionibus petitur. Uterque enim in sua re tantopere animo infixisse dicitur, ut omnes alias res non animadverteret. 20, 78 mirandum esse dicitur, Agathoclem etiamsi ceterum fortissime se gessisset neque unquam difficultatibus periculisque summis circumdatus de salute desperavisset, tum repente hostibus dominatione cedere voluisse, pro qua tot tantaque discrimina subiisset. Quin etiam hoc loco tyrannis suadetur, ne dominatione decederent nisi cruribus abstraherentur [1]. c. 90 similiter mirum esse censet, quod Agathocles nemini fidem habere solitus Dinocratis tamen unius amicitiam usque ad mortem constanter servaverit. Huc illud quoque referendum est, quod causa, qua Bomilcar ut tyrannidem appetere permotus sit, ex Carthaginiensium asperitate puniendi ducitur, quare viros praeclarissimos aut se a rebus publicis removere aut inlicita conari cogi declaratur. Alia series sententiarum eodem spectat, quibus auctor Diodori longius spatium rerum memoria repetens nonnunquam secum reputavit, quam saepe contra hominum omnium rationem nostrae res mutationem a fortuna excitatam capere consuescerent. 20, 13, 3. 30, 1. 70. His in eisdem locis simul gradatio quaedam conspicitur, quoniam postrema quaeque pars verbis καὶ τὸ πάντων θαυμασιώτατον vel ἰδιώτατον effertur. Hic in mentem venit, Demetrium Phalereum, historicum et

---

[1] Hoc dictum Heloridis amici senis Dionysii maioris esse memoratur. Timaeus vero, quem Diodorus 14, 8, 5 expressit, Plutarcho teste (Dion. 35) id Philisto historico adsignaverat, ut eius mortem convicio turpi corriperet. Philistum enim laetatus est, qui quondam Dionysio tyranno consilium illud grave dedisset, ipsum mortuum a pueris per urbem tractum esse.

eundem philosophum e Peripateticis, prorsus similem opinionem animo conceptam habuisse. Is enim in libro *περὶ τύχης* inscripto omnia a numine fortunae ac vi divina ita pendere statuit, ut quibus consiliis in rebus humanis ordinandis illa uteretur, a nobis prehendi non posset, sed hoc tantum posset agnosci, omnes res humanas esse volaticas et necessarium imminere temporis momentum, quo quaeque in contrarium verteretur. Hoc Demetrii placitum e Polybii exc. Vatic. 29, 6c optime cognoscitur qui nos docet, illum et Persarum regni olim potentissimi exitum subitum et Macedonum incrementa haud secus inopinata animo complexum sibi conclusisse, Macedonum quoque dominationi similem exitum instare. Diodori auctorem in eadem cogitatione versatum esse ut adstipuleris, conferas 20, 30 et 18, 59 (de quo c. infra dicendum erit) cum his Polybianis *ἡ πρὸς τὸν βίον ἡμῶν ἀσύνθετος τύχη καὶ πάντα παρὰ τὸν λογισμὸν τὸν ἡμέτερον καινοποιοῦσα καὶ τὴν αὑτῆς δύναμιν ἐν τοῖς παραδόξοις ἐνδεικνυμένη.*

Proverbium *πολλὰ κενὰ τοῦ πολέμου* ter repetitum (20, 30, 1. 67, 4. 21, 2, 2) item ad studium eiusmodi pertinet, ut res quae minus faciles sint intellectu et explicatae, cito ratione et distributione sub uno adspectu ponantur.

Denique locutiones complures, quae eiusdem de qua agimus consuetudinis signa usitata sunt, adiciam. 19, 2, 9 *ὅπερ καὶ συνετελέσθη*, eadem 20, 3, 3. 20, 59, 3 *ἅπερ ἅπαντα κατὰ τὴν ἐπίνοιαν αὐτῶν συνετελέσθη.* 20, 79, 1 *ταύτας δ' ἀσυντελέστους συνέβη γενέσθαι.* 20, 54, 6 *ὅπερ καὶ συνέβη γενέσθαι.* Cum his rationes hominum recte singulatim consideratas esse indicetur, alio modo sententiae generali singulae res subiunguntur. 20, 10, 4 Carthagine duces saepenumero potestate senatus se levare conatos esse. *ὃ καὶ τότε Βομίλκας . . . ἐποίησεν.* 20, 11, 5 omina saepe causas esse victoriarum, *ὃ καὶ τότε συνέβη γενέσθαι.* 20, 43, 1 eos qui conatum inlegitimum et facinora aggrediantur *δεισιδαίμονας* et cunctabundos esse. *ὃ καὶ τότε περὶ ἐκεῖνον συνέβαινε γενέσθαι.* Aliis in libris et partibus bibliothecae haec locutio rarissime inest. Adde huc *διανοούμενος* formulam, quae item documento est, quantum is scriptor quem quaerimus in con-

silia hominum inquisiverit. 19, 102. 110, 5. 104, 3. 20, 3, 3. 8, 6. 12, 6. 40, 1. 43, 1. 68, 1, 3 alia similia minus saepe.

Quamquam vero plerumque rerum causae e pectoribus hominum vel a fortunae caecae vi et numine petitae sunt, ter tamen poenam a daemone nocentibus inlatam esse adfirmatur (19, 103, 5; 20, 65, 2; 70, 4). Nec tamen hi loci fontium colore liberi videntur. Nam quod 20, 70, 3 exponitur, Agathoclem eodem die eodemque mense duos filios amisisse, quo Ophellam necasset, et tamquam ex duodecim tabulis deorum haec interpretandi causa adferuntur *ὁ ϑεὸς ὥσπερ ἀγαϑὸς νομοϑέτης διπλῆν ἔλαβε παρ᾽ αὐτοῦ τὴν κόλασιν· ἕνα γὰρ φίλον ἀδίκως φονεύσας δυοῖν υἱῶν ἐστερήϑη*, ea Timaei ingenium perquam resipiunt, utpote qui duas res in eodem tempore a deis ideo collocari opinatus sit, ut certum quoddam mundi administrandi consilium indicarent. Veteres sane saepe duas pugnas praeclaras eodem die factas esse pro explorato sibi habuerunt, sed Timaeo datum erat, peculiari ingenii acie usque ad rationes deorum penetrare. Diod. 13, 108, 4. Plut. VIII, symp. quaest. 717 C, ubi Euripidem eodem die mortuum esse, quo Dionysius tyrannus factus esset, sic explicavit *ἅμα τῆς τύχης τὸν μιμητὴν τῶν τραγικῶν παϑῶν ἐξαγ. καὶ τὸν ἀγωνιστὴν ἐπεισαγούσης.* Cic. DND, II, 27 (fr. 137) [1]) concinne (!), ut multa, Timaeus, qui cum historia dixisset, qua nocte Alexander natus esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagravisse, adiunxit id minime mirandum esse, quod Diana cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo. Etiam penitius auctor 20, c. 101 (Diod.), perspexit, Agathoclem quia templa Liparaea diripuisset, ab Aeolo ea poena adfectum esse, ut eius naves argentarias demergeret. Vulcanum vero eum vivum in carbones calidos imposuisse. Qua quisque officina donatus est, ex ea poenam prompsit [2]). Sed hoc caput Timaeo ipsi adsignaverim, quia cum ceteris partibus narrationis nullo vinculo cohaeret, sed perinde ac capita 65. 70—72. libri XIX, abrupta quaedam interposita sunt.

---

1) Plut. Alex. c. III: hanc frigidam sententiam in cerebro Hegesiae Magnesii ortam esse tradit. 2) cf. Longin. de subl. c. IV, 2—3.

De ominibus et prodigiis, quid Diodori auctor sibi statuerit, non omnino liquet. Nonnulla insignia propterea videntur recepta, quia hoc genus miraculorum tum hominibus delectationem movit. 19 c. 2—3 pueritia Agathoclis duobus ominibus ornata est, quae cum contraria praedicant, supra dixi a duobus scriptoribus videri arcessita. 20, 5, 5 sole deficiente milites in metum incidisse dicuntur rati, etiam divinitus res adversas indicari. 20, 11, 3 postquam narratum est, noctuas, aves Minervae sacras, ab Agathocle emissas esse, ut omen fabricatus milites spe et laetitia adficeret, additur *ταῦτα καίπερ ἄν τισι δόξαντα κενὴν ἔχειν ἐπίνοιαν πολλάκις αἴτια γίνεται μεγάλων προτερημάτων· ὃ καὶ τότε συνέβη.* Licet enim augurii disciplina aliquanto ineptior sit et paene ludicra, ad turbam tamen hebetem excitandam spectata vi et utilitate. Similem ad modum religio ac superstitio Poenorum non sine illusione perstringitur. Nam et Bomilcar Hannone collega occiso a deis opportunam occasionem consilia sua exequendi datam esse arbitratus turpiter se recepisse fertur, ut Agathocli victoria sponte cederet, et Carthaginienses hanc ipsam calamitatem, quam scriptor Bomilcaris proditione contigisse exposuerat, a deis tributam esse opinati ad variam implorationem trepidi se convertisse traduntur. Denique 20, 29, 3 et 30, 2 vaticinium e genere aenigmatum memoratur, quod in aliam partem accipitur, in aliam evenit. Ceterum etiam Aristoteles divinam animi partem in vaticinationibus a reliqua anima et corpore separari statuisse perhibetur testibus Sexto Empir. adv. Math. IX, 20 sqq. Cic. div. I, 25, 53. Plut. consol. ad Apollon. 27.

Venio ad doctrinae specimina. Inprimis mores et instituta Carthaginiensium diligenter observata sunt. 20, 9, 1 navium proras pellibus contegi, si quid respublica detrimenti caperet. Ibid. 10, 2 senatum in puniendo nimia severitate uti; c. 14 totum in sacris eorum cruentissimis describendis positum est, ad quae etiam c. 65 convertitur. Adde cognitionem finium Punicorum et aliarum gentium Libyarum l. 20 (41. 55. 59). Deinde bis fabulae adlatae sunt, quarum una ad Lamiam pertinens omnium consensu a Duride solo narrata erat. Altera Saturnum complectitur liberos suos devorantem,

cuius memoriam Carthagine statua ahenea, in cuius gurgitem homines deiciantur, servari disseritur. Utroque loco occasio adrepta est versus Euripideos vel explanandi vel illustrandi (20, 14, 6. 41, 6). Interpretationem, quae ad Lamiam spectat, consentaneum est, sine dubio a Duride depromptam esse, unde de altera facilis coniectura fit. 19, 108, 1 Ecnomi montis etymologia refertur, quo loco cum Phalaridis taurum re vera extitisse narretur, Timaei auctoritas spreta est, qui Polybio (12, 25) teste talem unquam fuisse infitiatus erat. Idem cadit in 71, 3 et 78, 2. Denique proverbia notanda sunt, quorum unum ter repetitum iam supra attuli, alterum est 20, 58, 5 *πιθήκου αἷμα ἀποτίνειν*, quod ex consuetudine gentis Libycae profectum esse docemur.

Quibus ita multum disputatis cum adsecutus mihi videar, cui generi auctor Diodori adnumerandus, nunc tandem de eius nomine disceptandum est. Hucusque ad Timaeum et Calliam maxime animadverti, quorum historias quodam modo in bibliothecam Diodori fluxisse, sed antea iam in alium amnem corrivatas esse demonstrabam, tertii scriptoris Duridis Samii obiter tantum mentio facta est. Atque e fragmentis, quae de vita Agathoclis ab eo conscripta delibata ad nostram aetatem pervenerunt, duo in Diodori narratione deprehenduntur. Fr. 35 quod est de Lamia, 20, 41 expressum esse iam dixi. In fr. 37 quod de Cleonymo Spartiata agit eadem fere verba et D. 20, 104, 3 occurrunt. Tertius locus est Diodori ipsius 21, 6. Sed cum is ad res Romanas spectet, certo constituere non possum, num Diodorus eum ex Duridis libris acceperit, quoniam constat illum aliis fontibus ad res Romanas, aliis ad Graecas usum esse. Huc accedit, quod res propriae narrationis a Diodoro excerptae, quas supra excussi, eaedem in Duridis fragmentis inveniuntur. Etiam Haake p. 32 hanc viam fontis indagandi attigit, sed minime omnia, quae sic eruenda sint, exhausit, etiamsi haud dubie summi momenti sint. Fr. 19, 32, 47 poetarum versus in historiis explanati feruntur, accedit schol. Ven. Eurip. Hec. 933, quod C. Müller II. p. 488 in appendice protulit. In Euripide vero, qui in Diod. 20, 14 et 41 apparet, Duridem vel maxime versatum esse testis est peculiaris de Euripide et Sophocle scriptio.

Proverbia fr. 47. 68 explanata sunt [1]), etymologiae studium e fr. 25. 50 cognoscitur.

Ad condiciones Africae eum praecipue libro secundo respexisse, unde Lamiae fabula hausta est, significatione *Λιβυκά* docemur, ad quam Schol. Arist. Vesp. aberravit. Atque eodem loco Diodorus multas res Libycas et Punicas praebet. Porro dicteria qualia 20, 63 multa enarrata sunt, a Duride diligenter congesta esse, ut lectoribus delectationem et voluptatem moveret, magna copia narratiuncularum lepidarum probabile fit, quas de eo homines docti serioris aevi desumpserunt. Denique fr. 26. 71 mythologiam ei curae fuisse aperte ostenditur, perinde atque auctori Diodori, quem 20, 41 Duridem ipsum fuisse exploratum tenemus. Id quoque adferri potest, quod Diodori auctorem praeceptum quoddam historiae conscribendae animo percepisse etiam nunc apparet, quod idem a Duride initio historiarum propositum fuit. Conferantur fr. 1 *Ἔφορος δὲ καὶ Θεόπομπος τῶν γενομένων ἀπελείφθησαν· οὔτε γὰρ μιμήσεως μετέλαβον οὐδεμιᾶς οὔτε ἡδονῆς ἐν τῷ φράσαι, αὐτοῦ δὲ τοῦ γράφειν μόνον ἐπιμελήθησαν* et D. 20, 43, 7 ubi deploratur *τὴν ἀναγραφὴν μιμεῖσθαι μὲν τὰ γεγενημένα, πολὺ δὲ λείπεσθαι τῆς ἀληθοῦς διαθέσεως.* Atque si huius imitationis vis eo continetur, ut rerum origines patefiant, ut consilia hominum quomodo orta sint, cur bene evenerint, cur non, explicetur, ut eruatur, quae res inter se cohaeserint, Duridis praeceptum Diodori narratione quam maxime observatum esse, nemo non concesserit. Neque ullo modo obstant, quae de tyrannide dicuntur. Etenim notum est, Duridem patriae tyrannum fuisse, vel ut rectius loquamur, dynasten qui non plebei ope, sed optimatium auctoritate ad summum civitatis locum adscendisset. Nam nobiles rem publicam administraverunt, priusquam Pericles ol. 85, 1. Samum devicisset [2]), eosque

---

[1]) Addendum est, quod Hermannus Sauppe commentationis de Periclis Plutarchei fontibus p. 9 rectissime suspicatus est, proverbii *λευκὴ ἡμέρα* interpretationem perversam de Duride Samio delibatam esse, quippe cui totus iste locus debeatur (c. 26—29).

[2]) Thuc. I, 115. Plut. Pericl. 25.

verisimile est Atheniensibus colonis ol. 114, 3 depulsis formam a democratia alienam restituisse. Praeterea constat, aetate inde ab ol. C fere orta dynastas plerumque optimatium potentia subnixos esse [1]).

Ad haec convenit, quod Agathocles rarissime *τύραννος* vocatur, sed plerumque *δυνάστης*, nisi ubi reprehenditur. Contrarium in rebus Dionysiorum reperitur, qui multo saepius *τύραννοι* appellantur.

Deinde quod tyrannis consilium datur, ne sponte dominatione abdicent (20, 78, 2), neminem puto facile sententias eiusmodi historiis inseruisse nisi qui ipse dominatione praeesset. Si tyranni reprehenduntur (19, 9, 7. 20, 63, 3. 89, 6), id non in omnes declaratur, sed genus asperius resecatur. Populares autem civitates in Diodori auctoris amore parum fuisse, loco, qui est in 20, 79, 3, aperitur. Dinocrates enim vir nobilissimus (l. 19, 8) condiciones Agathoclis repudiasse dicitur, ne ipse Syracusis privatus factus auram popularem captare cogeretur. Atque ne id sine causa factum esse opinemur, haec sententia subiungitur: *τῆς αὐτονομίας ἀγαπώσης τὴν ἰσότητα, ἔν τε ταῖς χειροτονίαις ὑπὸ τοῦ τυχόντος δημαγωγοῦ παρευημερεῖσθαι ἀντικειμένου ταῖς ὑπεροχαῖς τῶν ἀνδρῶν τῶν ἀγόντων παῤῥησίαν.* Denique id quoque summi momenti est, quod ille qui Timaeo et Callia usus est, tam libero et integro iudicio eorum historias immutavit et correxit, imaginem illius aetatis tam plane et dilucide expressit, ut alia atque hac ipsa aetate eum floruisse cogitari nequeat. Veluti quod iam saepe numero memoravi Agathocli aliquanto serius suaderi, ut Dionysii maioris exemplo locupleti considerando abdicationem tyrannidis stolidam esse cognosceret, id a scriptore, qui multo post Agathoclem res componeret, nullo modo proficisci potuit. Itaque hac quoque ratiocinatione ad Duridem ducimur.

At omnes improbant, Timaeum a Duride adhiberi po-

---

[1]) G. Plass: Die Tyrannis in ihren beiden Perioden bei den alten Griechen. Bremen 1852. II, 136. cf. etiam Kirchhoff: actorum menstruorum acad. Berol. 1863. p. 265. H. Sauppium: comm. de II. inscr. lesb. progr. ac. Gotting. 1870. p. 30 eqs.

tuisse, quin etiam Haake inde causam duxit, cur Timaei vestigia haud abscondita silentio obrueret. Ad id primum respondeo, cum obscurum sit, quando Timaeus, quando Duris vitam Agathoclis scripserit, illa ratione nos neque cogi neque prohiberi ne quid certi statuamus. Deinde duobus certe testimoniis Timaeum aliquando a Duride adhibitum esse demonstratur. Post alios homines doctos Hullemannus [1]) et Carolus Muellerus [2]) calculis explanate subductis ex definitionibus annorum, quibus nonnullas urbes conditas esse Timaeus posuit, computaverunt, ab eo Troiae expugnationem in anno 1334 a. Chr. collocatam esse. Eundem autem a Duride acceptum esse, fr. 11 (Clem. Al. Strom. I, 337 A) notum est, ubi haec leguntur *ὡς δὲ Δοῦρις ἀπὸ Τροίας ἁλώσεως ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρου εἰς Ἀσίαν διάβασιν ἔτη χιλία.* Cum vero Timaeum eum fuisse sciamus, qui in temporum ratione excutienda summam poneret operam, de Duride autem nihil eiusmodi innotuerit, sequitur eorum consensum mirificum, quem nemo alius secutus est, inde repetendum esse, quod Duris Timaeum usurpaverit. Alter locus in Suidae lexico inest s. v. *ᾧ τὸ ἱερὸν πῦρ οὐκ ἔξεστι φυσῆσαι. Τίμαιος δὲ ἐν λή ἱστοριῶν „. . . .“ τὸ δ' ὅμοιον εἰπεῖν Δοῦρις ἐν τῇ ι Πυθέαν κατὰ Δημοσθένους*, ubi Duridem in notitia sua adferenda ad Timaeum respexisse apparet [3]). Quare iam minus offensionis

---

[1]) Duridis quae supersunt. Traiecti ad Rh. 1841. p. 79.

[2]) hist. gr. fr. I. p. LXVI.

[3]) Ceterum A. Schaeferum minus recte statuisse, historias Timaei usque ad annum 264 ductas esse, etiam Haake p. 6 perspexit. Sed aut Timaeus res Romanas in peculiari libro, quem de Pyrrhi bello scripsit, ultra annum 272 tractavit, aut, quod mihi multo verisimilius esse videtur, Polybii verba *αὕτη δ' ἐστὶ συνεχὴς μὲν τοῖς ἀφ' ὧν Τίμαιος ἀπέλιπεν* (sc. *ἡ πρώτη Ῥωμαίων διάβασις ἐξ Ἰταλίας*) summatim dicta sunt, quia inter annos 272—264 nulla res evenit, cuius magnitudo cum bello Pyrrhico vel Punico comparari posset. Si Schaefer (Abriss p. 84) recte iudicavisset, ponendum esset, Timaeum ut odium in Agathoclem acerbissimum satiaret, per triginta circiter annos non in animum induxisse; quod incredibile ducendum est modo reputetur. Diodorum 21, 17, 1 dixisse *ζῶντα μὲν ἀμύνασθαι τὸν δυνάστην οὐκ ἴσχυσε, τελευτήσαντα δὲ διὰ τῆς ἱστορίας ἐβλασφήμησεν εἰς τὸν αἰῶνα.* Quibus verbis paene constare censeo, Timaeum confestim post Aga-

habere puto si Duridem in aliis quoque historiarum partibus ad Timaeum respexisse censeamus. Omnes autem scrupulos ex mentibus haesitantibus evelli puto, si easdem res proprias, quas in eo Diodori auctore quem nunc quaerimus inesse videmus, apparere, ubicunque via ac ratione Duridem adhibitum esse demonstretur, comprobari potest. Venio igitur ad alteram partem disputationis meae, qua de Demosthene Plutarcheo quid commentatus sim proponam.

II.

Qualem fontem Plutarchus ad vitam Demosthenis concinnandam inprimis adhibuerit, proclive est dictu. Tanta enim ubertate nomina scriptorum, quibus una quaeque narratiuncula vel sententiola debita est, per omnes fere partes disseminata sunt, ut confestim scriptor doctus generis Alexandrini in mentem incurrat. Nam Plutarchus ut in adferendis fontium nominibus parcissimus est, quotienscunque e fonte primario vel omnino tali, qui auctores non significaret, sua hausit, ita nomenclaturam largissimam auribus nostris inculcat, simulatque ad Alexandrinum aliquem hominem delatus est. Veluti Hermippi exemplum ad Solonem et Lycurgum adsumpti, Satyri ad Alcibiadem usurpati, alius scriptoris Alexandrini, cuius nomen parum cognitum est, ad Aristidem adrepti ad istam regulam nos producit. Ut vero talium locorum, qui nulla re magis splenderent quam coacervata multitudine testimoniorum, auctores excuterentur, homines docti duplici ratione verissima uti soliti sunt. Aut enim aiunt eum usurpatum esse, qui aetate omnium postremus esset, aut aliquem ei supparem scriptorem. Atque altera via progressi ei, qui in fontibus lexicographorum eruendis versati sunt, sae-

thoclis mortem consilium cepisse, ut tunc tandem aliquando pus atque venenum in illum hominem evomeret. Praeterea permirum esset, si ex eis libris, quos ad res post Alexandrum gestas pertinuisse Schaefer putat, ne tenuissimum quidem fragmentum servatum esset.

pissime laetos fructus ceperunt. Sed in Plutarcho utpote qui, quos delibabat auctores, ipsos nonnumquam nominatim significaverit, rem ita sese habere existimandum est, ut nisi quando de eo in re locupletiore recesserit, qui minimus omnium natu esset, is ipse auctor omnium partium habeatur. In vita Demosthenica, ubi non minus septemdecim testes advocati sunt, Demetrius Magnes ultimus ab his serie temporis est. Qui quidem in vita terve quaterve ipse nominatur [1]), praeterea vero aliunde notitiam accepimus, quare nonnullos aliis locos ei adsignare debemus. Primum enim is qui vitas decem oratorum congessit, testatur Demetrio Magnete auctore Demosthenem a paedagogo quondam petivisse, ut secum in contionem iret, ubi Callistratus dicturus esset: quo audito amore artis oratoriae vehementissimo eum esse adfectum [2]).

---

[1]) c. 28: Hermippi notitia quaedam a Demetrio impugnatur. Quamquam patria eius non indicata est, plane tamen perspicuum est eum non esse Phalereum, sed Magnetem. c. 14 autem initio in liquidum perduci non potest, uter intelligendus sit. Magnetis cognomen c. 15 et c. 27 additum est.

[2]) Codices non Demetrium sed Hegesiam Magnetem nominant, quem editores iam dudum restituerunt. Sed Droysen (n. musei Rhenani t. IV. p. 428), quem Arnoldus Schaefer (Demosthenes und seine Zeit I, 276) sequitur, temere id factum esse iudicavit. Ut equidem aliter sentiam, certis rationibus perducor. Pseudoplut. infra demonstrabo summam vitae Demosthenis partem ex eodem scriptore arcessivisse, unde Plutarchus hausit. Hic autem indicat (p. 212, 29 ed. Sintenis min.) Demosthenem, cum Callistratus *τὴν περὶ Ὠρωποῦ κρίσιν* dicere vellet, puerum fuisse, quamquam tum haud dubie pueritiae aetatem transegerat. Atque Hermippus (Gell. N. A. III, 13) recte propterea statuit, cum fabulam lepidam ex Midianae §. 64 fingeret, Demosthenem admodum adulescentem cum iam in Platonis academiam ventitaret, aliquando pellectum esse, ut Callistratum de Oropo dicentem audiret. Ille igitur, qui Demosthenem hanc causam admodum puerum audivisse voluit, scilicet ut quam maturissime ad artem suam accessisse videretur, parum considerate fabulam mutavit. Itaque obscurum non est, eos qui Demosthenem a paedagogo petiisse narraverunt, e fonte hausisse, qui post Hermippi aetatem manare coepit. Quare ad Demetrium Magnetem aperte perducimur. Ceterum Schaefer istis narratiunculis nimium tribuit, quas omnes fere ex Hermippi ingenio fabularum plurimarum inventore fluxisse maxime probabile est.

Eadem fabula a Plutarcho c. V aliquanto fusius et ornatius exposita est, aeque ac multa, quae Pseudopl. et Photius breviter perstrinxerunt, ab illo latius referuntur. Altero autem loco Demetrii auctoritas non parum infirma a Plutarcho repudiata est, sed tamen ita ut penitus perspici possit, cetera ab eo esse hausta. Nam e Pseudopl. 847 A et e Phot. bibl. cod. 265 (465 b, 32 Bk) accepimus, notissimum illud epigramma *εἴπερ ἴσην ῥώμην* cett. a Demetrio Magnete Demostheni ipsi adiudicatum esse, a quo id compositum esset, antequam sibi mortem adscisceret. Huc longam seriem mortium variarum adfixerunt, quarum alius scriptor aliam a Demosthene oppetitam esse commentus erat. Horum hominum ad confingendum probe ingeniosorum nomina Pspl. ad posteritatem reservavit, Photius omisit. Plutarchus vero eandem fere seriem memoriae mandavit, cuius in fine Demetrii Magnetis commentum nomine non addito, sed convicio collocavit. Dicit enim *οἱ γὰρ αὐτὸν τὸν Δημοσθένην τοῦτο* (sc. *τὸ ἐπίγραμμα τὸ θρυλούμενον*) *ποιῆσαι λέγοντες ἐν Καλαυρίᾳ μέλλοντα τὸ φάρμακον προςφέρεσθαι κομιδῇ φλυαροῦσιν* (c. 30). Cum autem mortem Demosthenis ad Satyri narrationem accommodaverit (cf. psPlut. 847 A v. 168 Westerm.), ad quem etiam alibi se iunxit, sequitur, eum praeter Satyrum Demetrium in manibus habuisse eique permulta debere. Nam neutiquam Plutarcho in mentem venisset, scriptorem ullum nugarum insimulare, nisi eum antea usurpasset, quoniam ille materiam undique congerere minime solitus est, sed satis duxit unum aliquem fontem delibasse. Similiter Duridem Samium in Pericl. c. 28 nota severa dignavit, postquam eius excerptionem modo absolvit, id quod H. Sauppe in clara luce posuit. Similiter Phylarchum quamquam ad Agidem Cleomenem Pyrrhum Aratum [1]) conscribendos bono usu esse cognoverat, tamen occasionem eius corripiendi non facile praetermisit, — simulatque Polybius facultatem fecit. Idem virtutum praedicator candidissimus Timaeo, cui se saepissime adiunxit, in Niciae initio plagas probe vehementes inflixit.

Praeter ea signa, quae modo perlustravimus, nonnulla

---

[1]) vid. Schaefer, Abriss p. 98.

alia, adsunt paullo absconditiora. Suidas s. v. *Ἰσαῖος* hoc tradit. *Δημήτριος δὲ Χαλκιδέα φησὶν αὐτὸν εἶναι. οὗτος δ' ἐπαινεῖται καὶ ὡς Δημοσθένην ἀμισθὶ προαγαγών.* Similiter cum Plutarchus dicat, Demosthenem Isaeo praeceptore usum esse videri, quia Isocrati decem minas persolvere non potuisset, inde colligendum est, hic quoque Isaeum putari vel nulla vel tenuissima mercede Demosthenem arte oratoria instituisse. Denique memorandum est, quod c. XV de oratione, quae de falsa legatione Aeschinis est, exponitur: *ἄδηλον εἰ λέλεκται.* Licet enim Idomeneus Aeschinem non liberatum esse nisi triginta suffragiis dixerit, tamen ita non esse videri declaratur, quia neque Demosthenes neque Aeschines hanc causam in iudicium usquam deductam esse indicaverint. Plutarchus quid de hac quaestione dissolvenda proferret cum se prorsus nihil habere recte sentiret, rem acumini aliorum his verbis reliquit *ταυτὶ μὲν οὖν ἕτεροι διακρινοῦσι μᾶλλον.* Similiter contentum hominem se praebuit Sol. c. 19 extr., ubi haec leguntur, *ταῦτα μὲν οὖν καὶ αὐτὸς ἐπισκόπει.* Pericl. c. 22 extr. al. At tum cum Plutarchus vitas perscripsit, Dionysius Halicarnassensis et Caecilius Calactinus de eadem re disceptaverunt, sed in aliam sententiam inciderunt [1]). Ille enim in ep. ad Ammaeum I, 4 p. 737 illam orationem habitam esse recte statuit dicens *καὶ τὸν κατ' Αἰσχίνου συνετάξατο λόγον ὅτε τὰς εὐθύνας ἐδίδου τῆς δευτέρας πρεσβείας τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους.* Idem a Caecilio iudicatum esse non sine iusta causa statuere posse mihi videor. Nam cum eius nomen in Aeschinis vita Pseudoplutarchea semel diserte nominetur, verisimillimum est, totam vitam aeque atque Antiphontis niti eius auctoritate, prout posteriore aevo summa habita est. Itaque quod 840 C de Aeschinis oratione de cor. dicitur, sine dubio ad Caecilium referendum est, certe ab eius sententia non abhorret. Cum vero pro explorato habeamus, hoc duumviros orationibus atticis diiudicandis apud posteros maximae fuisse auctoritatis, fateare necesse est, neminem, qui tam docte ac diligenter quam auctor Plutarchi in Demosthenis vita con-

---

[1]) vid. G. Dindorfii chronologiae Demosthenicae praemissae editioni Teubn. p. XCV.

scribenda operam conlocaret, ad illorum iudicia, quae alicubi fusius sine dubio explanata erant, non respexisse. Haec reputanti mihi iam non in incerto esse videtur, coniecturam illam a Plutarcho nobis traditam, quam novitatis specie praeditam esse apparet, ante Dionysium et Caecilium prolatam esse, h. e. a Demetrio Magnete. Atque eo confidentius rem ita esse adfirmare possumus, quod in eodem c. XV, de cuius parte postrema nunc agimus, paullo supra diserta mentio Demetrii facta est. Quapropter nunc summo iure confido dici posse, ad Demetrium eam vitae Plutarcheae partem, quae doctrinae specie enitescat, esse revocandam. Neque autem ullum momentum facit, quod Demetrius nonnullas vitas brevius quam decuit perstrinxit vel quod in Plutarchi libris nullum aliud exemplum extat, ubi illo usus sit. Nam Demetrium credibile est sicubi satis accurata notitia deesset, non multum scientiam locupletare studuisse [1], ubi autem a hominibus doctis, qui aetate antecedebant, materia larga coacervata esset, eam sine haesitantia in horrea sua magna condidisse, ut aliorum fructuum penuriam compensaret. Quod ad alteram rationem attinet, certe operae pretium non est, quaerere, quo casu Plutarchus huc illuc devenerit. Hoc saltem obscurum non est, Demetrii historias literarum *περὶ συνωνύμων* inscriptas illis temporibus maxime pervulgatas esse.

Sed quoniam Demetrius et alii scriptores eiusdem generis ad originem, institutionem, ingenium, literas multo magis se converterunt quam ad ea, quae quisque in rebus publicis gessisset, Plutarchus laudabili industria se ad eos non omnino agglutinavit, sed plerumque ad res publicas describendas peculiaribus historicis usus est. Neque id aliter in Demosthene se habet, id quod nunc enucleare in animo est. Atque c. IV pueritia et cognomina per ludibrium indita referuntur, c. V et VI init. exponitur quomodo Demosthenes ad artem oratoriam impulsus sit, cuius in disciplinam se tradiderit, quibus in libris diligenter versatus esse videatur. Subinde multis

---

[1] notissimum est, eum a Dionysio Hal. vehementer reprehensum esse, quod de Dinarcho parum compertum habuisset.

variisque narratiunculis explicatur, quomodo infirmitatem et fragilitatem corporis pertinaci industria vicerit, ut ad summum artis gradum adscenderet. Postea late planeque disseritur, quid de natura et indole eius iudicandum sit, quid inter eum et oratores cum eos qui aetate antecedebant tum aequales intercedat. Quae res uberrima cum ab auctore Plutarchi etiam fusius tractata esset quam hunc adrisit, his verbis praeciditur (c. XI extr.) *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων καίπερ ἔτι πλείω λέγειν ἔχοντες ἐν ταῦθα παυσόμεθα*, ex quibus aperte perspicitur, fontem huius disputationis largius fluxisse. Iam vero statim aggreditur describere, quando Demosthenes ad res publicas accesserit. Id factum esse, docemur, cum bellum Phocicum ortum esset. Sed cum causam Midianam suscepisset, tum eum quamquam triginta duos annos natum nondum potentia et auctoritate floruisse. Nam nisi res ita se habuisset, nequaquam futurum fuisse, ut tribus milibus drachmarum acceptis de accusatione iustissima desisteret. Et postquam auctor ad rationem reipublicae gubernandae, quam Demosthenes inde a principio iniisse, exponendam temporis momento admonitus est, animo consideravit, quae consilia praeclarissima cogitatione complexus quantam gloriam brevi inter omnes Graecos comparasset, quam ingenua libertate patriam defendisset, qui factum esset, ut Persarum rex eum coleret, in aula Philippi de nemine frequentior sermo esset, ne adversarii quidem infitiarentur eum hominem esse vere magnum. Hac commentatione Plutarchi auctor eo ductus est, ut Theopompi de Demosthene iudicium iniquius et asperius infringeret, qui quidem, quo erat odio rerum Atheniensium oppletus, illum nulla fuisse constantia, at nimia mobilitate animi et levitate obiecerat. Mortem igitur eius exponit luculentissimum adferre testimonium, tam stabili et perpetua constantia eum in ratione bene considerata perseveravisse, ut patriae spiritum redderet. In hac parte nemini dubium esse potest, quin vere historicus usurpatus sit, qui non multo post illas res gestas floreret et qui orationes tantum modo attingeret, si qua ad rem publicam spectaret, neque vero idcirco quod per se memorabilis esset. Sed explicatius demonstrari potest, huius partis auctorem Demetrium Magne-

tem non esse. Primum enim de consiliis Demosthenis in republica susceptis iterum c. XVI disseritur, quod caput enumerationem orationum subsequitur, in qua Magnetis nomen eminet, et enumerationi antecedit earum actionum, ad quas Demosthenes Athenienses perpulit. Quam enumerationem A. Schaefer [1]) rectissime perspexit ex Demosthenis or. de cor. §. 237 esse repetitam, neque historico deberi posse nimia brevitate ostenditur. Sed praeterquam quod duobus locis eundem scriptorem de eadem re disputavisse incredibile est, nisi forte negligentia Plutarchea praeditus est, in utraque expositione diversa iudicia de Demosthene lata sunt. c. XII cum huic tales laudes habitae sint: *λαβὼν τῆς πολιτείας καλὴν ὑπόθεσιν τὴν πρὸς Φίλιππον ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων δικαιολογίαν καὶ πρὸς ταύτην ἀγωνιζόμενος ἀξίως*, c. XVI sic audit: *ἡ δὲ τοῦ Δ. πολιτεία φανερὰ μὲν ἦν ἔτι καὶ τῆς εἰρήνης ὑπαρχούσης οὐδὲν ἐῶντος ἀνεπιτίμητον τῶν πραττομένων ὑπὸ τοῦ Μακεδόνος, ἀλλ' ἐφ' ἑκάστῳ ταράττοντος τοὺς Ἀθηναίους καὶ διακαίοντος ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον.* Hae duo voces quanta diversitate sint, singulatim ostendere necessarium non est.

Deinde mortem Demosthenis iam supra dixi c. XIII testimonium constantiae esse existimari. At vero c. XVI init., ubi Demetrius auctor nominatur, — vix credibile dictu — flagitatur, eandem mortem ut signum turpitudinis esse credamus. Etenim Demosthenes ad laudandas maiorum res praeclaras aptissimus dicitur, ad imitandas haud accommodatus, id quod e morte eius cognoscatur: *Ἐπεὶ τούς γε καθ' αὑτὸν ῥήτορας καὶ τῷ βίῳ παρῆλθε.* Denique conferantur haec *ὥστε θεραπεύεσθαι ὑπὸ τοῦ μεγάλου βασιλέως* (c. XII) et *τῷ δ' ἄνωθεν ἐκ Σούσων καὶ Ἐκβατάνων ἐπιβατὸς χρυσίῳ γεγονὼς καὶ κατακεκλυσμένος* (c. XVI). Ne quis autem Demetrio neglegentiam tribuens Plutarchum aliquomodo a crimine levissimae socordiae vindicare conetur, id semper tenendum esse aio, ubicunque illius vestigia pateant, certum quendam ordinem atque dispositionem primo adspectu offerri. Nam postquam de ingenio ac vi Demosthenis c. XI disputatum est, quam partem a Plutarcho resectam esse dixi,

---

[1]) l. m. II, 455 not. 3.

res ipsae flagitaverunt, ut de moribus verba fierent (c. XIII ext. c. XIV init.), deinde orationes enumerarentur (XV), tum ad contiones transitus fieret, quam ob rem et consilia reipublicae tractandae et ea, quae in publico confecerat, breviter perstringenda erant (XVI. XVII).

Nonnulla sane facete dicta, quamvis omnia ad brevitatem redacta sint, addita sunt, ne lectioni dulcedo mellita tum omnibus exoptata deesset.

Iam vero c. XVIII de alio scriptore depromptum esse, vel diversa ratione narrandi intelligi potest. Cum enim proximo cap., ut dixi, enumeratio potius quam enarratio rerum data sit, nunc ad uberiorem fontem ducimur. Maximi deinde pendendum est, quod res quae iam c. XVII indicatae erant, iterum c. XVIII repetuntur, id quod facile comprobari potest. Arnoldus Schaefer [1]) observavit numeris copiarum Graecorum sociorum, qui c. XVII e Dem. or. de cor. hausti inveniuntur, etiam milites Thebanorum contineri, ex quo fit, ut hoc cap. status rerum, qui fuit ante pugnam Chaeroneensem, significatus sit. Huc index civitatium additur, quem ab eodem Demosthene abreptum esse, par ordo nominum apertissime docet. Hic autem index sociorum, qui Demosthenis eloquentia ad bellum contra Philippum gerendum concitati erant, item statum repraesentat, in quo res post Elateae occupationem erant. Denique recte quidem c. XVII extr. locus ille Demosthenicus (de cor. §. 237) ita immutatus est, ut ex serie civitatium ac gentium ibi enumerata Thebani exemti dicantur omnium postremi Demostheni conciliandi fuisse. Contra prorsus falsum est, quod auctor huius capitis foedus ceterorum et Thebanorum eodem fere tempore ictum esse opinatus est, ac ne id quidem recte statuit, Demosthenem cum primum consilium cepisset, civitates Graecas contra Philippum in unam societatem conligere, statim in animo habuisse etiam Thebanos, ut se adiungerent, flagitare. At enim tum demum cum Elatea a Philippo occupata neminem iam fugeret, quo iste tenderet, cum omnes Athenienses periculum imminens nullo modo posse propulsari nisi auxilio Thebanorum adiuncto per-

---

1) l. m. II, 456, 3.

spexissent, Demosthenes cives suos admonere ausus est, ut odio vetere deposito finitimos ad societatem invitarent. Inter illud prius foedus, quo plerique Graeci comprehendebantur et hoc alterum cum Thebanis ictum duo fere anni praeterierunt. Quapropter evidens est, quam rerum ignarus auctor capitis XVII fuerit. Neque enim errores a Plutarcho profectos esse facillime concesseris, dum modo reputes, capite insequenti omnia, quae secunda parte capitis XVII narrata sunt, multo rectius descripta esse. Plutarchus igitur somnians promiscue vel vera vel falsa excerpsit. Atque c. XVIII quidem non solum belli Amphissaei et occupationis Elateae mentio fit, quae duo evenerunt priusquam copiae c. XVII enumeratae contraherentur et priusquam alicui in mentem veniret, Thebanos ad societatem vocare, verum etiam iterum et id multo rectius explanatur, quando et cur Athenienses consilium ceperint, finitimos invisos admonere, ne Philippi exercitum sequerentur. Quamobrem cum inde a capite XVIII et alia ratio narrandi incohetur et eaedem res diverse describantur, nemini dubium esse potest, quin Plutarchus inde ab hoc capite ad historias alias se contulerit, quas quidem non alias esse, quam quae c. XII usurpatae sunt, facile est intellectu. Nam eadem hic quoque offertur admiratio Demosthenis et benivolentia, eodem modo Theopompus quod acerbius quam verius de illo iudicaverit, reprehenditur. Haec pars cc. XVIII—XXI continet; num ab eodem fonte etiam c. XXII initium petitum sit, certo argumento disceptari nequit. Ceterum quod c. XIX ineunte pugna Chaeroneensis statim describitur, quamquam quae res inter Thebanorum ad societatem accessum et inter illud proelium evenerint, ne verbo quidem attingitur, nullo modo tanti aestimandum est, ut c. XIX rursus ab alio fonte petitum esse ducamus. Nam quoniam a Plutarchi consilio absonum fuit, res ubi Demosthenes nusquam conspiciebatur percurrere, expeditionem hibernam 339/8 iure suo praeteriit.

Hoc loco non alienum esse arbitror breviter explicare ac si possim emendare, quae ab hominibus doctis de initio capitis XVIII disputata sunt. Atque Koechly quidem n. mus. Helv. t. II. p. 68 adn. contra A. Schaeferum orationibus De-

mosthenis et Aeschinis nixus recte comprobavit, Elateam prius captam esse quam Amphissam. Sed quod Plutarchum iudicio acerrima impugnavit, nescio an minus recte fecerit. Nam init. c. XVIII verba *ὑπὸ τῆς περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχίας ἐπαιρόμενος* non necessarium est ita accipi, ut Amphissa occupata esse dicatur, sed alia explicatio perinde probabilis est. Quoniam *ἡ περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχία* generalis locutio est, quid obest ne occasionem significari censeamus, quae Philippo ad Graeciam invadendam oblata est, cum bellum sacrum ut Amphissaeis inferret, concilium amphictyonum ab eo petiisset? Qua occasione nihil sane Philippo exoptatius fuit. Id vero Koechly sine dubio falsius egit, quod de Plutarcho ita detraxit, ut idcirco Marsyae testimonio c. XVIII adlato, Diodori qui auctorem depravatum secutus est, auctoritatem anteponere mallet neque Schaeferi (D. u. s. z. II, 353 adn. 1) verissimam argumentationem servaret luculentissime docentis, Diodori auctorem erravisse.

Reliquum est, ut excutiamus quis historicus et qualis huius loci Plutarcho auctor fuerit. Supra memoravimus, Demosthenem et defendi et laudibus efferri, sed valde mirandum est, eum non ut popularem magni existimari, sed ut nobilitatis fautorem, ut Athenarum dynasten honorarium. Cum enim Theopompus eum *δυναστεύοντα ἀδίκως καὶ παρ' ἀξίαν* maligne vocasset, haec nota in laudem conversa est his verbis *ἀλλὰ καὶ πάνυ προσηκόντως* (XVIII). In eandem sententiam c. XIV extr. disputatum est, ubi Demosthenis *πολίτευμα* diserte *ἀριστοκρατικὸν* nominatur, ubi bis, eum licentiae vulgi ingenua libertate restitisse peccatisque illius infixum esse, declaratur. Itaque haec pars capitis XIV, quae a *φαίνεται δὲ καὶ* incipit, Demetrio non adsignanda videtur, cuius compositione certe alienissimum erat, priusquam orationes et *πολιτείαν* Demosthenis conscriberet, de eius ratione cum populo agendi et de compluribus litibus dicere. Quamvis vero Plutarchi auctor secundus Demosthenem maximi existimaverit, tamen cum eis quae hic ipse de re publica Atheniensium praeclare atque egregie sentiebat, sine dubio non congruit. Nam quantum scimus, ille semper omnibus viribus intendit, ut et leges et libertas patriae salvae essent ac va-

lidae. Atque idem in c. VIII vitae quam tractamus, iudicatum est, ubi Demosthenes, se nisi orationes diu diligentissime meditatus esset, in publicum idcirco prodire nolle, dixisse fertur quia θεραπείας εἶναι τοῦτο ἀπέφαινε δήμου παρασκευήν, τὸ δ᾽ ὅπως ἕξουσιν οἱ πολλοὶ πρὸς τὸν λόγον, ἀφροντιστεῖν ὀλιγαρχικοῦ καὶ βίᾳ μᾶλλον ἢ πειθοῖ προσέχοντος. Ceterum eius vitia minime praetermissa sunt, sed satis superque exponitur, cum apud Chaeroneam in acie constitisset, eum ignave tergum vertisse.

Deinde commemorandum est, hunc scriptorem narrationi lumina quaedam addere consuevisse. Quamobrem res insigniores cogitatione amplexus sententias ingeniosas adiungere studuit, quibus, cuius illae momenti essent et ponderis, commonstraret. Sicuti postquam, quando primum Demosthenes ad res publicas se applicavisset, consignavit, ad tempora posteriora animo intuens indicavit, ad quot honores quantamque ad rerum gestarum gloriam paullatim ab humili evectus esset (XII extr.); deinde c. XVIII ornatius demonstravit, quam vehementer cum alii tum Philippus permoti essent, cum Demosthenes vi eloquentiae exardescentis, ut Thebani non amplius regis Philippi voluntati se addicerent, sed praeter omnium opinionem cum Atheniensibus, civitate inimica, paciscerentur, praeclare adsecutus esset. C. XX inter se opposuit et quam arroganter Philippus victoria ad Chaeroneam reportata se iactasset et quam vehementer ab ebrietate revocatus pertimuisset, cum se vi oratoris summum discrimen subire coactum esse animo consideravisset. Eadem cura res divinae tractantur, si quando divinitus aliquid factum esse visum est. Eximium igitur apparet studium oracula et fata Sibyllina colligendi, sed tamen ea re non prohibitus est, quominus contemptionem harum nugarum, qua Demosthenes adductus ante proelium, ne Pythiae in Philippi partes tractae crederent, suaserat, non improbaret. Nam hanc narrationem verba excipiunt μέχρι μὲν οὖν τούτων ἀνὴρ ἦν ἀγαθός. Quid ille ipse de rebus divinis senserit, ex initio capitis XIX recognoscitur, ubi ad Chaeroneam Graecos propterea clade proflictos esse ponit, quod id temporis fortuna quaedam divina in ambitu rerum eo delata esset, ut simul Graecorum libertatem ad

finem duceret. Quae rerum causa nonne eadem est, quam a Demetrio Phalereo et ab eo, quem Diodorus ad vitam Agathoclis conscribendam adhibuit, adlatam esse supra demonstravimus? Hi omnes consentiunt, necessitate quadam, quae neque animo humano percipi neque impugnari possit, nostras res ad finem sive bonum sive malum propelli. Atque etiam Demosthenem in hanc opinionem incidisse confingitur, utpote qui rogationibus non suum nomen, sed amicorum deinceps nomina praescripsisse dicatur *ἐξοιωνιζόμενος τὸν ἴδιον δαίμονα καὶ τὴν τύχην*. Denique Philippus narratur et ipse fortunae vicissitudine raptus paullo post pugnam magnificam mortem subiisse, ut vaticinatio

κλαίει ὁ νικηθείς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν

impleretur.

Iam vero apertioribus indiciis patefaciamus, quisnam is historicus sit, cuius consuetudinem et indolem modo describebamus. Cum versus, quem modo attuli in cc. XIX et XXII, iteratus sit, satis apparet utrumque caput ab eodem fonte delibatum esse, ex quo omnia illa fata fluxisse facillime concesseris. Iam vero cum Duris auctor eorum nominetur, sine dubio hic est, quem quaerimus, historicus, qui Plutarcho omnia fere, quae non de Demetrio Magnete desumpta sunt, subministravit. At enim ex capite XIX ipso prior nominis Thermodontis explicatio secernenda est, quoniam verbis *εἰκάζομεν δὲ* satis declaratur, coniecturam quae de origine nominis Haemonis adiuncta est, ingenio aliquo Boeoto esse excogitatam. Ad Duridem vero vel maxime accommodatum est, quod crebro Theopompus reprehenditur, quippe cui illum initio historiarum bellum indixisse constet, deinde quod Demosthenes praeclarus Athenarum dynastes et meritus vocatur. Nam non magno opere credibile est, alium in huiuscemodi opinionem miram incidisse atque qui vel ipse dominationi praepositus id ageret, ut se exemplar virorum egregiorum illius aetatis imitari neque quidquam illegitime facere comprobaret, vel qui dynastae alicui morigeraretur.

At id sententiae meae obstare dixerit quispiam, quod Duridem Samium inimicissimum Atheniensium fuisse ferunt, eundem amicum Macedonum. Id ita esse et ex Plut. Pericl.

c. 28 colligere solent et inde necessario ortum esse ducunt, quod Samus insula incolis veteribus ab Atheniensibus erepta, ab Alexandro in integrum restituta esset. Sed primum Plutarchum, nemo fere iam existimat, ut de aliquo scriptore iudicium ferret, diligenter omnes eius libros perlegisse, verum opinionem suam e singulis locis cepisse, id quod sane temerarium esse nemo est qui infitietur. Accedit, quod Plutarchus ne ipse quidem ait, Duridem usquequaque contumelias falsas in Athenienses iecisse, tametsi a veris rebus eum recessisse summatim adfirmet. Deinde evinci non potest, ea quae de Atheniensium crudelitate in Samios perpetrata a Duride enarrata esse Plutarchus testatur (l. m.), ab illo de suo conficta esse. Nam etiamsi neque Thucydides neque Ephorus neque Aristoteles simile quiddam memoriae mandaverunt, etiamsi illam narrationem falsam esse concedimus, dubium tamen esse non potest, quin Duris ad annales Samiorum conscribendos fontibus domesticis usus sit. Quae cum ita sint, cuivis opinor apparet, ut ab illo narratiunculas sive rarioris sive delicatioris notae libentissime neque eligendi iudicio adhibito receptas esse fragmentis compluribus intelligitur, ita illam quoque fabulam ex ore populi ductam esse, quo omnia summo opere exaggerari non est cur moneam. Non igitur calumniandi ardore, sed fabularum indulgentia factum esse censeo, ut Duris actionem iusto turpiorem in Atheniensium res insereret. Quam perversum sit, ex singulis locis, qui forte aetatem tulerunt, aliquid amplius de illius ratione concludere, complura exempla ostendant, primum Sami patriae, cuius ob amorem Atheniensibus maledixisse fertur. Nam fr. 65 nimia Samiorum humilitas non obtecta est, qui primi Lysandro et omnino homini honores divinos tribuisse dicuntur, fr. 47 nimia illorum luxuria et lascivia uberrime exponitur. At quis inde Samum in odio fuisse Duridis concludat? Aeque in Plut. Alc. c. 23, quod maximam partem de Duride haustum esse Fricke [1]) recte demonstravit, eum videmus Alciabiadem avum et ad mutationes chamaeleonte celeriorem dixisse, et defendisse, superbia non factum esse, quod ille

[1]) Unters. üb. d. Quell. des Plut. im Nikias u. Alkib. 1869 pp. 62 et 78.

Timaea regis Agidis uxore amice usus esset, sed ut se regum Lacedaemoniorum proavum faceret. Alia similiter. Quod vero argumentum inde ducunt, quod ab Atheniensium colonis etiam Duris patria privatus est, id parvi ducendum esse arbitror. Nam Samo incolis pristinis reddita hic nihilominus Athenas se contulit, ut Theophrasti institutione uteretur. Praeterea eius fratrem Lynceum cognitum habemus multum diuque Athenis versatum esse, ubi non solum sermones meretricii ab eo diligentissime conlecti commentariisque proditi sunt, sed etiam aliquoties eius comoediae fabulis Menandri antepositae palmam tulerunt. Hinc optimo iure homines docti concluserunt, Lynceum et Athenienses dilexisse et eorum caritatem adeptum esse [1]). Denique origo Duridis non praetermittenda est, utpote qui ipse de Alcibiade avo se iactaverit, cum eum a Samo magnifico apparatu Athenas rediisse perscriberet. Omnibus, quas modo protuli, rationibus in unum coactis recte mihi iudicare videor, ex Plutarchi loco de odio Duridis in Athenienses vehementissimo conicere non licere, neque quidquam obstare, quominus Demosthenem, praesertim velut dynasten, laudibus ab eo ornatum esse arbitremur. Quod vero de favore Macedonum suspicati sunt, ad id non prius respondebo, quam testimonium ullum eius rei invenerint. Equidem nihil e fragmentis de Macedonibus didici nisi Philippum magnum poculum aureum possedisse quod, quoties cubitum iret, sub cervicali deposuisset (fr. 4), Demetrium Phalereum sumptu in cenas facto Macedonibus antecessisse, Cypriis et Phoenicibus munditia (fr. 27). Quae quidem oppositio barbariam Macedonum inconditam commonstrat.

Vix necessarium est iterum monere, quanti pendendum sit, quod in Demosthenis Plutarchei ea parte, quam Duridi adsignandam esse aperuimus, illa de fortunae numine opinio, illa cura ad vim rerum gestarum inlustrandam applicata offertur, quam in Diodori bibliothecae particula quadam observavimus. Etenim quam supra coniecturam esse profiteri

---

[1]) cf. E. de Leutsch commentationem accuratissimam, quae in Erschi et Gruberi encycl. sect. I. t. 71. p. 101 sqq. de Gnathaena inserta est.

debuimus, ad eam maxime sustentandam et confirmandam id, quod nunc consecuti sumus, plurimum valet, ita ut nunc iam omnes, qui antea restare videbantur, scrupulos remotos esse putem. Praeterea conferatis quaeso quae de eadem re in fine partis tertiae addita sunt.

Cum in fontes vitae Plutarcheae inquirerem, necessarium sane laborem aspernari non potui, deliberandi, unde ceterae vitae Demosthenis originem ducere viderentur, quoniam aliter certo non potuit diiudicari, quid de Demetrii Magnetis partibus statuendum esset. Nec tamen nunc in animo est, hanc totam quaestionem cum pulvisculo exhaurire, sed satis erit quam brevissime rem explicasse, accuratior explanatio in posterum differenda est.

Iam A. Westermannus (de fontt. vitt. Dem. 1837) Zosimum, Anonymum quem postea vocavit (Biogr. min.), Suidam (c. III) summa adfinitate coniunctos esse recte perspexit, sed non parum erravit dicens, ea quae Suidas traderet a Zosimo repetita esse. Nam omnes tres pariter ab una epitome pendere neque unum ab altero aptum esse facile concedet, quicunque reputaverit Suidam et v. 45 a [1]) Zosimo (v. 87) et vv. 55. 73 ab Anonymo (69 et 90) ita discrepare, ut ipse veteriorem traditionis formam conservet.

Psplutarchum et Photium easdem fere res praebere idem Westerm. facili opera cognovit, sed ne hanc quidem quaestionem plane dissolvit. Nam si quis Psplut. 845 B (v. 61) et Phot. 493 b, 12 eqs Bk. cum Plut. c IX contulerit, non potuerit non concedere, utrumque alio modo ea corrupisse, quae Plut. rectius servavit. Porro vita Pseudopl. in duas partes dissecanda est, quarum prior usque ad v. 174 (847 B) pertinet et ea re eminet, quia et ratio temporis habetur et pars vitae Plutarcheae a Duride aliena simillima est, altera autem pars narratiuncularum ineptarum copiam unde unde congestam continet. Praeterea agnoscendum est, etiam in priorem partem nonnulla frusta iniecta esse, quae ea re facile distinguuntur, quod narrationis ordinem funditus obturbant, velut 845 D, locus e probo fonte haustus.

---

1) Versuum numeri e Westermanni vit. graec. scriptt. min. petiti.

Iam vero si quaerimus, unde sua quisque desumpserit, in duo genera omnes vitas distribuendas esse puto, quorum unum Suidam Zosimum Anonymum complectens ad Hermippum referendum videtur, alterum, Pseudoplut. Phot. Liban., ad Demetrium revocandum est. Quod ita sese habere luculenter apparet, si narratiunculas quasdam in omnibus vitis persequimur et comparamus. Huius generis primum ea est, qua docemur, quemadmodum et quando Demosthenes Callistratum audierit et ad studium eloquentiae impulsus sit. Atque Hermippus quidem (Gell. N. A. III, 13) commentus erat, Dem. quondam adulescentem cum ad Platonem properaturus esset pellectum esse, ut ad illius orationem audiendam se conferret. Idem tradit Zosimus. Libanius (v. 38 sqq.) vero cum Plutarcho convenienter dicit, Dem. puerum Callistrato audito ad eloquentiae studium perductum esse. Idemque a Pspl. traditum Magnetis addito nomine. Suidas autem generalius *ἐπεθύμησε δὲ ῥητορικῆς Καλλίστρατον θεασάμενος τὸν ῥήτορα* declarat quam ut certius quidquam inde colligere posses. Itaque Didericus Volkmann, praeceptor carissimus, (de Suid. biogr. quaestt. nov. p. XIV) minus recte argumentum inde sibi sumpsit, quo vestigia Demetrii indicaretur.

Altera notitia eiusmodi est ea, qua enarratur quam feminam Demosth. in matrimonium duxerit. Plut. c. XV a Demetrio negatum esse tradit, Demosthenem viduam Chabriae duxisse, sed Samiam quandam; unde colligendum est, Demetrium istis verbis hominem doctum aetate antecedentem refellere voluisse. At Suidas, Zosimus, quem supra vidimus ad Hermippi auctoritatem applicatum, Anonymus Chabriae feminam a Demosthene ductam esse pariter declarant, unde efficitur, ut ei aliquam epitomen opusculi Hermippei usurpasse videantur. Pseudopl. denique Heliodori cuiusdam filiam Demostheni nupsisse in altera parte, quam ego statuo, indicavit.

Tertia parte quam summi momenti esse duco, de cognominibus Demosthenis agitur. Atque Plut. et Libanius (v. 31 sqq.), a quo Photii 495 a, 31 sqq. repetiti sunt, ad unum fontem referendi sunt, ita ut unus alterum compleat. Discrepant ab his Suidas (c. I), qui Hermippum auctorem nominat, et Pseudoplut. in parte altera (v. 203) narrantes, Dem. ideo

Batalum vocatum esse, quia adulescentulus veste muliebri usus esset vel quia nutrix hoc nomen per ludicrum invenisset, Demosthenem adulescentem omnino luxuriosius se gessisse. Neque autem talia a Plut. et Lib. memorantur.

Quartum ea adferenda sunt, quae de epigrammate illo notissimo dicta sunt. Pseudopl. et Phot. testibus Demetrius narravit, id a Demosthene compositum esse, priusquam mortem sibi adscisceret. Hanc rem etiam a Plut. commemorari supra disserui. Verum enim vero Zosimus Anonymus Suidas cum epigrammatis mentionem faciant, commentum Demetrii ignorant, id quod argumentum gravissimum arbitror, quo epitomas ab illis adhibitas ad Demetrium revocari non posse luculenter demonstretur. Certe autem tenendum est, mentionem epigrammatis a Suida factam pro indicio ac signo Demetrii Magnetis non posse haberi itaque Volkmanni argumentationem (l. m.) esse paullo infirmiorem. Quae cum ita sint, equidem Arnoldo Schaefero adsentiendum esse duco, qui philologi t. VI p. 427 eqs. priorem partem Suidae ab Hermippo aliquo modo aptum esse disputavit. Alteram partem (c. III) eodem spectare ipse comprobasse mihi videor. Denique adiungendum est, Demetrii signum esse, quod Isaeus Chalcidensis a Pspl. vocatur (cf. Suid. s. v. Ἰσαῖος). Haec sunt fere, quae graviora argumenta ad istam quaestionem excussi. Et Pseudopl. et Libanium et Zosimum et Anonymum fabulas commenticias aevi satis seri inseruisse notum est.

Ceterum quamquam mihi propositum fuit de Duride Plutarchi auctore in universum disserere, superfluum tamen existimavi hoc loco ea iterare, quae de vitis Periclis et Alcibiadis ab H. Sauppio praeceptore carissimo et a Gui. Frickio (Unters. üb. die Qu. des Plut. im Nik. u. Alk. pp. 62 et 78) disputata sunt.

III.

Redeo nunc ad Diodorum, cuius in libris XVIII et XIX nonnullae partes ad Duridem certis rationibus referri possunt, alias Hieronymo Cardigno abiudicandas esse non diffi-

cile est intellectu. Priusquam autem ad has quaestiones accedam, coniecturas Haakii pendendas esse duco opinati, complures libri sexti decimi partes Duridi a se esse redditas. Prorsus in eo genere argumentandi adquiescit ut dicat, Theopompi vel Phylarchi fragmenta cum Diodoro congruere, constare quantum hic apud Duridem, apud illum Duris valuerit, neque igitur dubium esse, quin Diodorum ad Duridem se adiunxisse existimandum sit. At siquidem ego de Demosthene Plutarcheo recte iudicavi, simul sequitur, Diodorum, cuius 16, 85, 3 a Plutarchi c. XVIII, ubi Marsyas auctor adfertur, discrepat, e Duride illam partem non hausisse [1]). Profecto autem ad meam sententiam una diserta significatione Duridis ducimur, Haake prorsus nulla ansa adnixus est. Nam quomodo quis Theopompi vel orationum Demosthenicarum locos similes pro argumento et indicio Duridis venditare possit, ego non capio. Porro quod Phylarchum Duride auctore saepissime usum esse dicit, tribus locis id confirmari declarat. Sed accurate perpendentibus unus tantummodo comparet locus, quo Phylarchum indicetur et ad Theopompum et ad Duridem respexisse (fr. 38). At quod C. Müller fr. 71 esse voluit, id minime in hunc numerum referendum est. Etenim et Mueller et Haake fortasse aliter iudicassent, si ea, quae Hullemann l. m. p. 77 ratiocinatus est, satis attendissent. Cum enim tribus Plutarchi locis numerus quidam, qui ab Aristobuli abhorreat notitia, commemoretur, duobus autem eorum Duris auctor numeri diversi adferatur (Plut. Alex. c. XV. orat. de Alex. fort. I. p. 327—VII, 297 Rsk), quid minus incertum est quam Plutarchum memoriae errore deductum esse, ut altero loco eiusdem orat. de Alex. fort. (II, 327—349 Rsk) Phylarchum Duridi supponeret? Sed licet aliquis Duridis nomen inducere vereatur, sed Luchsium [2]) secutus *Κλείταρχος* qui fortasse et Duridis et Aristobuli nomen Plutarcho suppeditavit, legere malit, de Phylarcho cogitare omni modo ve-

---

[1]) Addendum est, Diodorum de oraculis et fatis, quae plerumque comprehendit, ante pugnam Chaeroneensem nihil dixisse. Duridem vero e vita Plutarchea scimus in ea re multum versatum esse.

[2]) cf. Müller FHG I, 436.

tamur. Tertium locum, quo Phylarchum Duride persaepe usum esse demonstrari posset, Haake rectissime ipse uncis seclusit. Ex uno igitur loco dumtaxat cognovit, quantum Duris Phylarcho valuisset, uno loco commotus est, ut quod Phylarchus haberet, idem Duridis esse censeret. Quippe: *κοινὰ γὰρ πάντα τὰ τῶν φίλων.*

Ceterum proclive est intellectu, ne id quidem ab Haakio recte statutum esse, quod Phylarchi fontem a Diodoro eundem exhaustum esse opinatus est. Nam Phyl. fr. 60 a Diodoro magis discrepat quam consentit: Phayllum enim narrat non uxori suae monile ex Delphorum thesauro raptum condonasse, id quod Diodorus (16, 64, 2) et Demophilus (Ephori fr. 155) tradunt, sed Aristonis cuiusdam Oetaeorum principis coniugi, quam in similem exitum ductam esse dicit atque Diodorus uxorem Phaylli. Aliam discrepantiam Haake ipse non reticuit (p. 52). Contra Demophilus cum Diodoro optime congruit, modo ne negligatur, illius fragmentum non ad eam partem pertinere, ubi sors suprema uxorum ducum Phocensium descripta sit, sed ad eam, ubi et Eriphylae et Helenae insignia ab eis rapta esse narratum sit. Quae cum ita sint, Demophili potius quam Phylarchi auctoris vestigia patent, nedum Duridis. Sed hanc quaestionem nunc amovendam esse arbitror, quoniam familiaris meus quidam et hanc et alias, quae in l. XVI insunt, dissoluturus est. Pergamus igitur ad libros XVIII—XX.

Atque primum quidem illa iam inveterata opinio eorum hominum doctorum refutanda est, qui una voce Hieronymum Cardianum amplissime a Diodoro compilatum esse inter se adstipulantur [1]. Sed si argumenta quaesiveris, nullum tam

[1]) Dux et antesignanus C. A. F. Brückner, cuius commentatio de vita et scriptis Hieronymi Cardiani diariis Zimmermannianis anni 1842 p. 252—272 inserta est, iterata altera pars a C. Muellero hist. gr. fr. II. p. 456—461. Magnus grex hominum consensu coniunctorum a Woelfflinio (ed. Polyaeni praef. adn. 15) enumeratus, sed nullius est pretii, quoniam una pagella rem perstrinxerunt. Neque Volquardsen, homo acutissimus, dissentit (l. m. p. 1). Atque ipse quoque profiteor, non pauca ex Hieronymi historiis arcessita esse. Verum tamen etiam

saepe occurrit, quam quo adfirmatur, Hieronymum cum rebus plurimis quas narrabat ipse interfuisset, auctorem illius aetatis conscribendae locupletissimum fuisse ideoque sane a Plutarcho Diodoro Nepote longe esse aliis antepositum, esse eum a posteris diligenter lectitatum. At vel paucitate reliquiarum tristissima doceri potuerunt, illam multam tractationem commenticiam esse. Deinde quod Hieronymum ceteris historicis aequalibus anteferunt, recte agant, sed inde, quod ipsi rem egregrie diiudicasse sibi videntur, mehercle concludere non licet, quid illi scriptores praeposteri statuerint. Fortasse in Arrianum, quem sobrium fuisse fontium existimatorem ex Anabasi perspectum est, illud praeiudicium admiseris, sed tamen eum praeter Hieronymum aliis usum esse e fragmentis pusillis, quae Photii industria ad nos pervenerunt, luculentissime elucet. Plutarchum vero Diodorum ceteros verecundia vetustatis deposita, si quid praeiudicii fieri liceret, agnoscere deberemus, seu perexigua bonitatis fontium perspicacitate praeditos fuisse seu in multas alias potius res attendisse et narratiuncularum elegantiam, elocutionis splendorem et genus oratorium, sententiarum argutarum copiam amplexos esse quam incomptam studuisse veritatem enucleare. Illas autem laudes delicatiores Hieronymo defuisse omnes, quoad sciam, consentiunt. Itaque iure poscendum erat, ut illud placitum firmioribus fundamentis niteretur quam quae nunc iacta sunt. Neque enim plus manet quam unum fragmentum cum Diodoro concinens et Pausaniae testimonia [1]) e Timaeo, ut videtur, arcessita, qui Hieronymum res per amicitiam Antigoni aliquanto falsius perscripsisse, in ceteros autem reges gra-

---

id diligentius confirmandum esse arbitror, priusquam iudicium certum faciamus.

[1]) I, 13, 9 et I, 9, 10. Philisti mentione ad Timaeum vocamur quo Pausanias et ad Pyrrhi res et ad Gallorum prope Delphos interitum describenda usus est. cf. G. A. Schmidt: De fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus a Gallis in Macedoniam atque Graeciam susceptis Berol. 1834 p. 56. C. Wachsmuth, Sybeli diar. t. X. Ceterum ex eo quod Hieronymus reprehenditur, simulatque res etiam a Timaeo sumere licuit, plane efficitur cetera, quae de diadochorum aetate a Pausania narrantur, ex illius historiis desumpta esse.

vius aequo invectum esse dixit. Atque quoniam aliunde cognitum habemus, Hieronymum et Antigoni Unoculi amicum fidelissimum fuisse et eius posteriorum, neque illis temporibus, quibus omnium regum bellum contra omnes continenter renatum est, si quis unius comes et sectator erat, ceteros inique tractare non potuit, hic quidem non est cur Timaeo testi quamvis alias parum certo fidem derogemus. Nempe si Hieronymus plane aequo Iove iudicavisset, id per mihi mirum videretur. Quae cum ita sint, hanc regulam quaestionum nostrarum adsecuti sumus, ut sicubi Diodori auctorem id egisse inveniamus ut alius atque Antigoni imperium legitimum esse, hunc vero praeter iustum res constituisse demonstraret, eos locos ab Hieronymo avocandos esse appareat.

Atque multis quidem in capitibus Diodori comitas humanitas iustitia Ptolemaei summis laudibus efferuntur, vitia praetermissa sunt. Veluti 18, 28, 6 hoc immoderatum *οἱ δὲ θεοὶ διὰ τὴν ἀρετὴν καὶ εἰς πάντας τοὺς φίλους ἐπιείκειαν ἐκ τῶν μεγίστων κινδύνων παραδόξως αὐτὸν διέσωσαν* si cuius amicum prodit, certe Ptolemaei, non Antigoni amicum ostendit. Idem animus sat multis locis patefit, in primis ubi in amicos benivolentia demonstratur. Ib. 14, 1 *συνέτρεχε δὲ καὶ φίλων πλῆθος πρὸς αὐτὸν* (sc. Ptol.) *διὰ τὴν ἐπιείκειαν.* 34, 4 *ὁ Πτ. αὐτὸς ἀριστεύων καὶ τοὺς φίλους παρακαλῶν ἐνδείξασθαι τὴν εὔνοιαν ἅμα καὶ τὴν ἀρετήν, ἡρωικοὺς ἀγῶνας συνεστήσατο.* 19, 86, 3 *ἦν γὰρ ὁ δυνάστης οὗτος καθ' ὑπερβολὴν ἐ π ι ε ι κ ὴ ς καὶ συγγνωμονικός, ἔτι δ' εὐεργητικός. ὅπερ καὶ μάλιστ' αὐτὸν ηὔξησέ τε καὶ πολλοὺς ἐποίησεν ἐπιθυμεῖν κοινωνῆσαι τῆς φιλίας.* Cf. ib. 55, 5. Deinde summum momentum faciunt eiusmodi sententiae, quibus Ptolemaeus optimo iure Aegyptum obtinere dicatur, id quod verbis *δορίκτητον ἔχειν* significatur. Nam cum successores Alexandri magis magisque regiae familiae obtemperare recusarent provinciasque testamento illius delatas sub ipsorum dicionem et potestatem liberam redigere contra fas iusque auderent, sane aliquo modo crimen manifestum propulsare studuerunt. Proclive erat dictu, provincias quae quondam mandatae essent, subinde in tot tantaque discrimina vocatas esse, ut is qui summa pericula depulisset, merito terram ab hostium impetu

vindicatam praemium victoriae acciperet. Ita aliquoties etiam in enuntiatis, quae studium unius alicuius non prae se ferunt, vocabulum *δοϱικτήτου χώϱας* reperitur, unde sumendum est, id illis temporibus pervulgatum esse (19, 105, 4. 85, 3. 21, 1, 5) [1]. Sed aliis tamen locis, ut supra dixi, nemini dubium esse potest, quin unus aliquis ex auctoribus Diodori Ptolemaeum solum, quam haberet, terram suo magno labore nactum esse, nobis persuadere velle existimandus sit. Eodem spectat, quod cum secunda provinciarum partitio Triparadisi facta enarretur, de Ptolemaeo haec proferuntur: Antipater *τῷ Πτ. τὴν πϱοϋπάϱχουσαν πϱοςώϱισεν· ἀδύνατον γὰϱ ἦν τοῦτον μεταθεῖναι διὰ τὸ δοκεῖν τὴν Αἴγυπτον διὰ τῆς ἰδίας ἀνδϱείας ἔχειν οἱονεί δοϱίκτητον* [2]) perinde ac si quis eam illi eripere voluisset (18, 39, 5), eadem fere verba 43, 1 extant *τὴν μὲν Αἴγυπτον ὡςανεί τινα δοϱίκτητον.* Ceterum cum initio huius capitis Ptolemaeum et Perdiccae et regias copias contrivisse dictum sit, quamquam iam antea multae res postea gestae memoratae sunt, probabile fit, c. 41—42 ex alio fonte fluxisse atque 40 et 43, ubi eodem modo causa Ptole-

---

[1]) Luculentissime haec sententia 19, 105, 4 elata est, ubi haec extant: Alexandro eiusque matre Roxane interemptis *οἱ πεϱὶ Κάσσανδϱον καὶ Λυσίμαχον καὶ Πτολεμαῖον, ἔτι δ' Ἀντίγονον ἀπηλλάγησαν τῶν ἀπὸ τοῦ βασιλέως πϱοςδοκουμένων φόβων· οὐκέτι γὰϱ ὄντος οὐδενὸς τοῦ διαδεξομένου τὴν ἀϱχὴν, τὸ λοιπὸν ἕκαστος τῶν κϱατούντων ἐθνῶν ἢ πολέων βασιλικὰς εἶχεν ἐλπίδας, καὶ τὴν ὑφ' ἑαυτὸν τεταγμένην, χώϱαν εἶχεν ὡςανεί τινα βασιλείαν δοϱίκτητον.* Mirandum est quod Seleucus excipitur, qui 19, 92, 5 habetur *ἔχων ἤδη βασιλικὸν ἀνάστημα*, sed de hac re v. infr.

[2]) Arrianus *τῶν μετὰ Ἀλέξ.* c. 34 vel ipse in errorem delapsus est vel a Photio errore amplificatus. *Αἴγυπτον*, inquit, *καὶ Λιβύην καὶ τὴν ἐπέκεινα ταύτης τὴν πολλὴν, καὶ ὅτι πεϱ ἂν πϱὸς τούτοις δόϱιον ἐπικτήσηται πϱὸς δυομένου ἡλίου, Πτολεμαίου εἶναι.* Manifestum est *δόϱιον ἐπικτήσηται* aliquo modo ex *δοϱίκτητον* ortum, sed falso intellectum esse. Neque enim donari solent, quae aliquis ut suae dicionis faciat, omnibus viribus intentis eniti debet. Ceterum hoc consensu manifesto, qui inter Diodori et Arriani narrationem intercedit, luculenter demonstratur, Arrianum Hieronymo non unico usum esse. Infra exemplum addam, ubi insigniter a Diodoro dissentiens item ab Hieronymo discessit.

maei defenditur. 20, 76, 7 *αὐτὸς δὲ τὸ δεύτερον ἠγωνισμένος ὑπὲρ τῆς Αἰγύπτου, καὶ νομίσας δορίκτητον τὴν χώραν ἐπανῆλθεν εἰς Ἀλεξάνδρειαν.* Huc tandem referendus est locus, in quo Ptolemaeum post Perdiccae mortem imperio dignissimum fuisse, sed sponte id recusasse dicitur: 18, 36, 6 *μεγάλης δὲ τυγχάνων ἀποδοχῆς καὶ δυνάμενος παραλαβεῖν τὴν ἐπιμέλειαν τῶν βασιλέων διὰ τὴν τοῦ πλήθους εὔνοιαν, τούτων μὲν οὐκ ὠρέχθη.* Uti denique p. 21 in Iustino illud non parvi existimandum esse duxi, quod Agathocles modo tyrannus modo rex appellatus est atque rex etiam ante annum 306, ad eundem modum hoc iudicandum est, quod 18, 21, 1 (sub anno ol. 114, 2) enuntiatum est *παρέδωκε τάς τε πόλεις καὶ τὴν χώραν Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ*, et *ὑπὸ τὴν Πτολεμαϊκὴν βασιλείαν ἐτάχθησαν* et 20, 21, 1 *τὰ δόξαντα τῷ βασιλεῖ* (sc. Ptol.), tametsi ibid. 19, 2—3 et Antigonus dynastes dictus est et Ptolemaeus In libris 18 et 19 ceterum aut nomina aut *ἡγεμών, ἐπιμελητής, στρατηγός, οἱ ἐν ἐξουσίᾳ ὄντες*, quantum memini, reperiuntur.

Ab ea parte, qua Ptolemaei studium maxime ostenditur, alia secernenda est, ubi Seleucus et suas terras merito ac iure possidere traditur et laudibus magnis ornatur. Nam eas partes non in unam colligendas esse, 21, 1, 5 satis apertum est, ubi post pugnam Ipsensem Ptolemaeus Seleuco, cum *κατὰ τὰς γενομένας συνθήκας* Coelen Syriam in potestatem suam redigere vellet, occupatis oppidis crimen obiecisse narratur, quod amicitiae non tantum tribueret, ut Ptolemaei terram intactam sineret, et quod reges sibi nullam partem terrarum captarum dedissent. *Πρὸς ταύτας διαβολὰς* Seleucus respondit non aequum esse, qui acie non pugnasset, eum nihilominus spoliorum participem esse, se propter amicitiam in praesens de Coele Syria non acturum, sed postea deliberaturum *πῶς χρηστέον ἐστὶ τῶν φίλων τοῖς βουλομένοις πλεονεκτεῖν.* Haec benivolentia erga Seleucum conlata planissime 19, 90—92 perspicitur, ubi eius reditus in Babyloniam ceterasque provincias accurate describitur. C. 90, 3—5 exponitur, quibus cohortationibus comites excitaverit, ut strenue et confidenter expeditionem susciperent; ibidem oracula, quibus ei regnum promissum erat, diligenter conlecta sunt. Deinde

omnes brevi ad eandem audaciam conatus industria eius et ingressu civili erectos fuisse, eos qui antea sub eius potestate fuissent, tum ad subeundam omnem dimicationem promptissimos concurrisse, magna cum cura et laetitia narratur. Denique favoris documento sunt verba, quae iam supra attigi, *ἔχων ἤδη βασιλικὸν ἀνάστημα καὶ δόξαν ἀξίαν τῆς ἡγεμονίας*, ad quae Demetrii Plutarchei c. 18 bene quadrant *καὶ γὰρ Λυσίμαχος ἤρξατο φορεῖν διάδημα καὶ Σέλευκος ἐντυγχάνων τοῖς Ἕλλησιν, ἐπεὶ τοῖς γε βαρβάροις πρότερον οὕτος ὡς βασιλεὺς ἐχρημάτιζε* [1]). Ex libri 21 fragm. 20 pietatis Seleuci exemplum conferendum est.

Hoc loco non alienum est, quantum Pausaniae I, 9, 8 et 6, 7 a Diodori 20, 106, 3 de Cassandri rebus iudicandis dissideat, demonstrare. Cum enim Paus. 6, 7 severe censeat, se eorum regum, qui Antigonum everterint, Cassandrum improbissimum existimare quippe qui ab Antigono Macedonum imperio accepto contra hominem beneficum belligerare non veritus sit, cum idem Paus. 9, 8 Lysimachum omnium hominum nequissimum ab Hieronymo habitum esse exponat, a Diod. (l. m.) Cassander fertur ab Antigono ad bellum compulsus esse, quia illius legati responsum accepissent eius condicionis, ut omnia sua Antigono committeret: quo postulato sane perterritus ad Lysimachum legatos misit. „Semper enim hunc ad auxilium vocare solitus est et ob hominis virtutem et ob vicinitatem regni, quotiescunque in summa discrimina adductus est.“ Vix est cur moneam, hoc loco Diodorum apertissime ab Hieronymo dissentire.

Postquam satis multa exempla luculentissima congessi, de quibus illud sine dubio depromendum est, quod Hieronymum a multis Diodori locis abhorrere dixi, nonnulla addam, quibus vel studium Antigoni vel odium patentius et expeditius prolata videantur. 18, 23, 3 *ἔτι δὲ ὄντος τοῦ ἀνδρὸς τούτου* (Antigoni) *πρακτικωτάτου τῶν ἡγεμόνων*. ibid. §. 4 *ὁ δ' Αν-*

[1]) Itaque non sine malignitate 20, 106, 3 *ἐξέπεμψαν πρεσβευτὰς πρός τε Πτολεμαῖον τὸν Αἰγύπτου βασιλέα καὶ πρὸς Σέλευκον τὸν τῶν ἄνω σατραπειῶν κυριεύοντα* dictum videtur.

τιγ. συνέσει καὶ τόλμῃ διαφέρων [1]). 72, 5. 73, 1 μεγάλην ἐπὶ στρατηγίᾳ καὶ συνέσει δόξαν ἀπηνέγκατο. 19, 74, 1 et 78, 2 apertum fuisse bis docemur, Antigonum civitates Graecas re vera voluisse in libertatem vindicare neque eas sub suam potestatem redigere unquam in animo habuisse. 81, 4 Demetrii Poliorcetae laudes quibus mentio vitiorum non adiuncta est. 93, 4 familiarem Antigoni his verbis prodit: ἐχάρη διαφερόντως ἐπὶ τῷ δοκεῖν τὸν υἱὸν νέον ὄντα καὶ κατωρθωκέναι δι' ἑαυτοῦ καὶ φαίνεσθαι βασιλείας ἄξιον. Contra longa series earum sententiarum, quibus Antigonus tunc constituisse regibus non amplius obtemperare, quibus ἀποστάτης γεγονὼς τῆς βασιλείας dicitur, quibus superbia et asperitas diserte reprehunduntur, ab Hieronymo alienissima esse mihi videtur, qui quidem ut consilia Antigoni improbaret, at certe toties et tam acerbe, quid sentiret, aperuisse minime putandus est. 18, 41, 5. 50, 1—2 quo in capite verba τοῦτον δὲ (Ἱερώνυμον τὸν τὰς ἱστορίας γράψαντα) μεγάλαις δωρεαῖς προκαλεσάμενος equidem puto nemini dubium esse posse quin ab Hieronymo ipso profecta esse negandum sit. Cf. 18, 52, 6. 8. 55, 2. 57, 3. 63, 4.

His locis cum partes Diodori librorum 18—20 inter se discrepare plane comprobavisse mihi videar, id certe consequimur, ut veteris de Hieronymo opinionis fundamenta labefactata et convulsa sint, ut complures fontes secernendi sint, qui quam diverso partium studio infecti essent, iam excussum est. Sed nunc quidem nondum in eo est, ut illos tres libros in frusta dissectos hominibus doctis ministrare possim. Res

---

[1]) Arrianus duas narrationes c. 20 contaminavisse mihi videtur. Nam res quae ab eo de Antigono adlatae sunt, partim eius favorem ostendunt partim eum mendacii arguunt. Quamquam cum Diodoro de Perdiccae insidiis et criminationibus in Antigonum iniuste comparatis consentit, separatim tamen commemorat, Antigonum ad Antipatrum et Craterum etiam necem Cynanae attulisse, sed tragice rem exaggerasse. Quod Diod. Cynanae mortuae suo loco mentionem nullam facit, sed 19, 52 demum obiter attingit, negligentia factum est. Verum tamen id certo constat, Arrianum et cum Diodoro ibi Antigoni favorem prae se ferente consentire et deinde iniquius de eodem iudicare.

sane est ardua multisque difficultatibus intricata, quia fragmentorum nominatim testificatorum inopia nimis comprimimur. Verum tamen omnia desperanda esse non arbitror, sed fore ut omnibus undique et ex Diodoro ipso et extrinsecus indiciis congestis acuteque digestis res bene ac feliciter eveniat, spem teneo. Atque ea quae de Duride particularum nonnullarum auctore certissima, ut opinor, ratione disputare possum, confestim proponam.

Cum Duridis fragm. 25 a Strabone I, 103 C traditum, quo etymologiam nominis Rhagarum, provinciae portis Caspiis circumiacentis, explanare conatus est, plane cum Diodori 19, 44, 4—5 conveniat, iam Hulleman verisimillimmum censuit, Diodorum hunc locum a Duride repetiisse. Ac profecto quotiescunque inter Diodorum et reliquias alicuius scriptoris non, modo mentio rerum gestarum, sed notitia extra narrationem inserta congruit, licet omnino concludere, Diodorum huius ipsius historias in suum usum vertisse. Duridem vero illo loco adhibitum esse eo magis iudicandum est, quia omnia quae a Diodoro de aetate post mortem Alexandri oborta narrata sunt, nusquam contaminationis vestigia prae se ferunt, sed aequalium curas integras resipiunt. His igitur argumentationis nostrae fundamentis haud dubie stabilibus positis consectaria constituere possumus. Prout consuetudo est Diodori, non solum illae duae paragraphi Duridi adsignandae sunt, sed etiam partes narrationis quae eas §§ cingant, modo ne aperta indicia adsint, quibus alios fontes dehinc usurpatos esse efficiatur. Atque cc. quidem 46 et 48 ab Hieronymo abiudicanda esse propterea probabile fit, quod Antigoni consilia fraudulenta in propatulo feruntur. Neque enim dissimulatur, Pythonem et Peucestam inanibus promissis falsaque amicitiae specie perductos esse, ut in castra Antigoni se conferrent, Pythonem vero nulla culpa admissa facile ab eius concilio damnatum esse et occisum. Etiamsi incognitum esset, narrationes libri duodevicesimi ex aliqua parte ad alios fontes atque Hieronymi historias revocandas esse, ab homine quodam, quem Antigoni amicum fidelem scimus, iniurias et insidias dolosas huius ipsius tam explicate patefactas neque ullo modo excusatas esse negandum esset. Sed quoniam c. 46

cum c. 44 arte cohaeret neque ullum signum fontis mutati deprehendi potest, nihil certius sequitur quam cc. 46—48 eidem Duridi adscribenda esse. Hinc alia res summi momenti concludenda est. Nam Polyaeni strategemata IV, 6, 14 et 15 non modo easdem quas Diodorus 46, 2 et 48, 3 narrat, praebent, sed etiam nonnullorum verborum singularium communionem ostendunt [1]), unde fit, ut ea strategemata quae in eadem serie atque 14 et 15 insunt, Duridi tribuenda sint, neque vero ea liceat ad Hieronymum referre: id quod Woelfflinius vulgarem opinionem temerariam, quam facili opera supra refutabam, secutus adnotatiunculis statuit. Quae cum ita sint, et IV, 6, 10—15 quae temporum ordinem severe observant, et IV, 8, 2—4, quorum quartum artissime cum 6, 11 cohaerere facile perspicias [2]), sine ulla dubitatione tribuenda sunt Duridi, cui consentaneum est omnes Diodori locos adscribendos esse, qui cum Polyaeno concinant. Sed nunc in animo non est, omnes conclusiunculas per saturam adnexas huc addere, verum satis duco unam rem eamque gravissimam indicavisse. Polyaeni IV, 8, 2 cum Diodori XVIII, 60, 4—61, 3 prorsus concordat, neque necessarium videtur, aequabilitatem verborum multorum apponendis locis comprobare, quandoquidem unum articulum seriei Polyaeni temporum ordine coniunctae cum Diodoreis verbis consentire demonstravimus. Caput autem 60 artissime cum prioribus cohaeret, cum relativis verbis *ἃ καὶ τότε διανοούμενος* adiunctum sit. Ita fit, ut 59, 5—6, ubi Diodori aucto-

---

1) Ne quis Polyaenum Diodoro usum esse opinetur, hoc loco absconditiore Pol. IV, 6, 14 cum Diod. 19, 46 conferantur. Ille *Πίθωνα . . . πυθόμενος ξενολογεῖν καὶ χρήματα συλλέγειν, ἀποστῆναι βεβουλευμένον, ἀπιστεῖν τοῖς ἀγγέλλουσι προσεποιήσατο, φάσκων, "Οὐκ ἂν πιστεύσαιμι ταῦτα Πίθωνα πράττειν, ᾧ πεντακισχιλίους Μακεδόνας ὁπλίτας* cett. Hic *Πύθωνα πολλοὺς τῶν ἐν χειμασίᾳ στρατιωτῶν ἐπαγγελίαις καὶ δωρεαῖς ἰδίους κατασκευάζειν καὶ διανοεῖσθαι νεωτερίζειν . . . , προσποιηθεὶς δὲ ἀπιστεῖν τοῖς διαβάλλουσι, τούτοις μὲν πολλῶν ἀκουόντων ἐπετίμησεν ὡς διϊστάνουσι τὴν φιλίαν; πρὸς δὲ τοὺς ἐκτὸς διέδωκε τὸν λόγον ὅτι μέλλει καταλιπεῖν τῶν ἄνω σατραπειῶν στρατηγὸν Πύθωνα.* Similia et dissimilia apparere sine commentatione puto; facile est intellectu, quemadmodum uterque eundem fontem depravaverit. Alii loci magis inter se congruunt.

2) Woelfflin p. XII id primus cognovit.

rem animadvertimus Eumenis condicionem atque fortunam multis variisque vicissitudinibus subiectam esse animo complexum eo pervenisse, ut quid de volubilitate fortunae humanae sentiret, nobiscum communicaret, eidem Duridi tribuendae sint, qui ubicunque a Diodoro vel a Plutarcho adhibitus esse nobis visus est, cogitata istius modi eloquebatur [1]). Si quid est evidens, ex illis multis locis coniunctis argumentum gravissimum sententiae meae ducendum est, praesertim cum praeter eos, quos contuli, neque apud Diodorum neque apud Plutarchum (excipio Demetrii vitam, de qua subinde dicturus sum) usquam alibi similis sententia reperiatur.

Sed hic subsistendum duco, quamquam nondum prorsus exhausta sunt, quae ad commissuras narrationum Diodori divellendas profecisse mihi videor. Nam multo magis expedit omnes quaestiones non discerptas, sed coniunctione aliqua conciliatas tractare, quod negotium, si quando alia occasio scribendi oblata erit, exanclare conabor — sive malit Haake (p. 3).

IV.

Reliquum est, ut de Demetrii vita a Plutarcho conscripta agam. Sed ne has quidem quaestiones hoc loco exhaurire in animo est, quia ab instituto meo longius recedunt. Satis est indicavisse quid inde de traditione rerum diadochorum, quid de Duridis cognitione adsequi possimus. Atque hunc quidem ad ea, quae Plut. narrat, aliquo modo conlatum esse iam Droysenius (Gesch. des Hellenism. I, 685) merito ex cap.

---

1) Haec conspiratio etiam similitudine dictionis demonstratur, quae cuivis extat atque eminet, modo conferantur Diod. 18, 59, 6 cum 20, 13, 3 et Sophoclis versibus in Demetr. Plut. c. 45 servatis, et D. 18, 59, 5—6 cum 20, 30, 1. Neque praetermittam initium c. 60 ὃ καὶ τότε διανοούμενος Εὐμένης, ad quod conveniunt exempla supra adlata locutionum ὃ καὶ τότε et διανοούμενος.

41 conligendum esse censuit, ubi quae de veste magnifica Demetrii adlata sunt, apertissime cum Duridis fr. 31 (ab Ath. XII, 535 E servato) consentiunt. Eiusdem vestis cum c. 44 mentio fiat, nihil certius est quam hoc quoque cap. a Duride pendere. Accedit, quod cc. 35. 45. 52 eodem modo, quem supra adumbravi, sententiae reperiuntur demonstrantes, quae vis fortunae in rebus Demetrii vel evertendis vel erigendis versata sit. Etiam hoc puto adiungi posse, quod c. 42 imago principis qualis a poetis veteribus informata sit accurate disseritur. Nam ex fr. 32 Duridis cernitur, eum ex Homero enucleare conatum esse, quibus moribus eius aetate dynastae instructi essent. Neque tamen Duridem ipsum a Plut. his locis usurpatum esse facile concesserit, qui priore vitae parte cum Diodoro comparata cognoverit, complurium narrationum contaminationem ibi ponendam esse. Unum adferam huius rei documentum. Diod. 19, 85, quod Ptolemaei studio impletum esse supra ostendi, hic dicitur post pugnam Gazensem ad Demetrium impedimenta regia et familiares aulicos nullo pretio remisisse, addidisse vero verba, quibus Antigonus insimularetur amicitiam vehementer violasse. Apud Plut. haec valde mitigata sunt, habes enim c. V (297, 31 sq. Sint. min.) haec verba ὡς οὐ περὶ πάντων ἅμα, περὶ δόξης δὲ
πολεμητέον ἐστὶν αὐτοῖς, Demetriique favor manife
quae subsequuntur. Nihil tanto opere ab
describitur quanto quomodo hoc be
redderet, nihilo eum victoria
tum esse quam quod
c. VI
q

signanda esse, inde ab c. 93 ad Antigoni studiosum historicum i. e. Hieronymum, quod sciamus, rediisse, in Plut. vero relatione res modo ad Antigoni, modo ad Seleuci favorem conversas esse, sed nullum, quantum ipse indagavi, indicium fautoris Ptolemaei patere. Iam vero sequitur, quoniam contaminationem ullam a Plutarcho factam esse existimari nequit, eum ad fontem secundarium, quem aiunt, se applicavisse, ab hoc autem auctore et Hieronymum et Seleuci fautorem adhibitum esse, quem quidem Duridem fuisse nunc meo periculo conicio. Ceterum cc. 11—14, 23—24, 26 ex Atthide quadam petita esse, quam Philochori esse arbitror, elucet nec non verisimile est, narratiunculas complures meretricias ad Lynceum Samium c. 27 nominatum referendas esse. Haec pauca nunc sufficiant, accuratius alias forsitan res retractabitur.